

UC-NRLF


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

DE TACITO LVCANI IMITATORE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

LUISE ROBBERT

BREMENSIS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMXVII

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt R. Reitzenstein et M. Pohlenz.

Examen rigorosum habitum est ante diem XIV kal. Sext. anni MCMXVI.

RICCARDO REITZENSTEIN
MAXIMILIANO POHLENZ
FRIDERICI LEO MANIBVS
SACRVM.

Hoc opusculo exponere mihi proposui, quae ratio intercedat inter Tacitum rerum Romanarum sub imperatoribus gestarum scriptorem florentissimum et Lucanum celeberrimi carminis quod est de bello civili inter Caesarem et Pompeium gesto auctorem. Quod antequam incipiam, eos locos, quibus Tacitus Lucani mentionem facit, afferam, ut quanti virum, quanti poetam fecerit appareat.

Commemoratur ut coniurationis Pisonianae conscius primum Ann. XV 49 [1]: „et Lucanus Annaeus Plautiusque Lateranus vivida otia intulere. Lucanum propriae causae accendebant, quod famam carminum eius premebat Nero prohibueratque ostentare, vanus adsimulatione; Lateranum consulem designatum nulla iniuria, sed amor rei publicae sociavit“. Vides quam acerbe primo statim loco ardorem odii futili causae opponat: poeta, qui defensores rei publicae laudibus extulerat nulla ipse rei publicae cura ductus iniuriam ab aemulo acceptam persequitur neque praeter sua ipsius carmina quidquam cogitat aut respicit. Iterum commemoratur patefacta iam coniuratione Ann. XV 56: „e quibus Lucanus Quintianusque et Senecio diu abnuere; post promissa impunitate corrupti, quo tarditatem excusarent, Lucanus Atiliam matrem suam, Quintianus Glitium Gallum . . . nominavere“. Rursus Tacitus more suo ipsi narrationi iudicium non addit, subiungit

1) Taciti verba affero secundum editionem a Ioanne Mueller curatam quam iterum in lucem edidit Lipsiae et Vindobonae annis 1902 et 1906.

tamen alteram narratiunculam cum priore conferendam. Constantiam Epicharidis, mulieris ignotae, quae et ipsa coniuratione Pisonis obstricta omnes cruciatus toleravit, laudibus effert auctor additque: „clariore exemplo libertina mulier in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui et viri et equites Romani senatoresque intacti tormentis carissima suorum quisque pignorum proderent. Non enim omittebant Lucanus quoque et Senecio et Quintianus passim conscios edere.“ Accedit tertius locus, quo extremum vitae enarratur, Ann. XV 70: „exim Annaei Lucani caedem imperat (scil. Nero.). Is profluente sanguine ubi frigescere pedes manusque et paulatim ab extremis cedere spiritum fervido adhuc et compote mentis pectore intellegit, recordatus carmen a se compositum, quo vulneratum militem per eiusmodi mortis imaginem obisse tradiderat, versus ipsos rettulit eaque illi suprema vox fuit.“ Quasi in scenam producit poetam in ipsa morte declamantem et vana carminum gloria sibi blandientem.

Atque haec quidem de vita et moribus Lucani: longe aliter eum sentire de indole atque ingenio Lucani aperitur notissimo illo loco dialogi, qui de oratoribus inscribitur[1]). Marcus Aper, qui fortiter fideliterque defensans suae aetatis eloquentiam in oratione sua unam alteramve ipsius Taciti profert opinionem, cum alia tum haec proloquitur (cap. 20): „Exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Vergili et Lucani sacrario prolatus,“ quibus e verbis optime cognoscitur Tacitum non solum magni duxisse auctorem Pharsaliorum, sed etiam dignum habuisse

1) Hunc librum cur iure Tacito adscriptum esse censeam, longum fuit exponere; conferas, quae exposuerunt Fridericus Leo in oratione de Tacito habita (Kaisergeburtstagsrede Göttingen 1896 passim), Reitzenstein („Bemerkungen zu den kleinen Schriften des Tacitus“ N. G. G. 1914 p. 173 sqq.), C. John in praefatione dialogi editionis.

eum, e cuius dictione optimum quidque carperet et suo operi insereret, cum Vergilio et Horatio, quorum vestigia non minus pressisse Tacitum inter omnes constat, adaequaret Lucanum [1]). De hac imitationis arte postea tractabimus, nunc satis est conclusisse ex hoc loco, quanti aestimaverit Tacitus poetam Lucanum. Despexit et contempsit extremam hominis vitam: auctorem Pharsaliorum inter summos habuit poetas Latinos.

Quae quoniam demonstravimus, nunc ad ipsum veniamus propositum, quod tali ratione disponemus, ut prima doceamus parte, qua fere arte Tacitus eos auctores, quos eum esse aemulatum nemo ignorat, sit secutus, altera exemplis collatis exponamus, quo iure Tacitum Lucani imitatorem appellaverimus.

I.

Qua ratione imitatus sit exemplaria Tacitus, exemplis illustratur.

„Ex his ceterisque lectione dignis auctoribus et verborum sumenda copia est et varietas figurarum et componendi ratio, tum ad exemplum virtutum omnium mens derigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam ut invenire primum fuit estque praecipuum, sic ea, quae bene inventa sunt, utile sequi". Ab his verbis Quintilianus initium sumit eius decimi institutionis oratoriae libri partis, quae est de imitatione, nominatis primo eiusdem libri capite scriptorum ac poetarum Latinorum et Graecorum optimis [2]). Iam supra commemoravimus ipsius Taciti sententiam, qua quid ipse senserit de hac imitationis arte perbene ostenditur. Sed quoniam de eiusmodi imitationis genere hoc

1) Cf. etiam Quint. inst. orat. X 1. 90: „Lucanus ardens et concitatus, et, ut dicam, quod sentio, magis oratoribus quam poetis imitandus."

2) Inst. orat. X 2. 1.

opusculo suscepi tractare, operae pretium fortasse faciam, si primum omnium instituam quaerere, unde sit orta et quid sit eius proprium. Sunt enim eloquentiae studiosi cum primis, quibus, ut imitationis arte utantur, praecipit et Tacitus et Quintilianus, cum fons huius artis ducatur inde ab Alexandrinorum, qui vocantur, poetarum usu atque consuetudine, illorum dico poetarum, qui non modo flosculis singulis, sed etiam sertis ex antiquorum poetarum hortis coniunctis ornabant sua carmina. Ut unum quidem, sed illustrissimum inducam exemplum, Callimachi hymnos tibi in memoriam revoco. Hoc Alexandrinae aetatis artificium recipiebatur et colebatur a poetis Latinis, e quibus unum quidem, sed excellentissimum exemplum nomino Vergilium, qui summa ac perfecta arte optimum quidque non solum a Graecis, sed etiam a Latinis poetis, ab Ennio Lucretio aliis, inventum suo carmini inserebat. Idem Vergilius optime nos docet, qualis fuerit ratio imitandi [1]. Sciens plerumque prompsit dicta vel sententias ex alieno sacrario, et ita collocavit, ut originem eruditi lectores agnoscerent et simul ipsius iudicium perspicerent [2]. Nam si diligentius hos locos perlustramus, perraro invenimus sententiam ad verbum exscriptam: plerumque, quod Regel in dissertatione sua contra antiquorum sententias optime illustravit, Mantuanus ea, quae ficta invenerat ab auctoribus, mutabat variabat exornabat. Utque iam ante Vergilium exstiterunt poetae Latini, qui eadem utebantur imitandi ratione, ut Lucretius [3]), sic

---

1) Cf. G. Regel, De Vergilio poetarum imitatore testimonia Diss. Gott. 1907.

2) Cf. Regel, p. 43.

3) De Lucretii imitandi arte cf. Heinze ad Lucr. III, 6 (quod te imitari aveo): „Als imitari bezeichnet L. seine dichterische Tätigkeit mit einem in der römischen Poetik technischen Ausdruck; er verzichtet damit auf die Selbständigkeit im Stoffe, aber durchaus nicht auf die Selbständigkeit der Arbeit, die ihn im Gegenteil mit höchstem Stolze erfüllt; der amor Musarum, quo nunc instinctus mente vigenti

ipsum imitantur, qui post eum carmina scripserunt. Quid vero hoc attinet ad Tacitum rerum scriptorem? Recordemur Tacitum summo studio se dedisse eloquentiae, oratorem vero illius aetatis, quippe qui poetarum more suam ipse crearet dictionem, non modo se affinem esse poetis sibi esse visum, sed etiam poetarum ritu imitatum esse horum sermonem. Inde fit, ut apud ipsum Quintilianum, eloquentiae magistrum, poetae Latini proponantur imitandi. Deinde eloquentiam iam diu historiae regionem invasisse et fines duarum disciplinarum solvisse inter omnes constat. Huc accedit, quod iam Graeci et postea Romani cognoverunt et pronuntiaverunt historiam affinem esse arti poeticae. Quae ratio intercederet inter poesim et historiam, Praxiphanem Peripateticum in eo quem περὶ ἱστορίας scripsit dialogo (cf. Marcellini vitae Thucydidis cap. 29) disseruisse contendit Rudolfus Hirzel [1]). Alia Graecorum exempla protulit E. Rohde [2]): Marcellini vitae Thuc. c. 41: ἐτόλμησάν τινες ἀποφήνασθαι ὅτι αὐτὸ τὸ εἶδος τῆς συγγραφῆς οὐκ ἔστι ῥητορικῆς, ἀλλὰ ποιητικῆς, Agathiae Histor. praef. 135, 20 (ed. L. Dindorf): οὐ πόρρω τετάχθαι ἱστορίαν ποιητικῆς, ἀλλὰ ἄμφω ταῦτα εἶναι ἀδελφὰ καὶ ὁμόφυλα καὶ μόνῳ ἴσως τῷ μέτρῳ ἀλλήλων ἀποκεκριμένα. Accedit Quintiliani testimonium (X 1. 31) „est enim (historia) proxima poetis et quodammodo carmen solutum“ [3]).

---

avia Pieridum peragro loca nullius ante trita solo (I 924) steht neben dem amor Epicuri, der ihn nur in den Spuren des Meisters zu gehen heißt.“

1) Die Thukydideslegende Hermes 13, p. 46 sqq. Cf. etiam Marc. vit. Thuc. 41: διά γ' οὖν τὸ ὑψηλὸν ὁ Θουκυδίδης καὶ ποιητικαῖς πολλάκις ἐχρήσατο λέξεσι καὶ μεταφοραῖς τισιν.

2) Der griechische Roman und seine Vorläufer [2] p. 361 Anm. 1.

3) Similem sententiam esse elocutum unum e nostris poetis nuper inveni, Fridericum dico de Hardenberg, qui haec facit verba in ea, quam Heinrich von Ofterdingen vocavit, narratione: „Wenn ich das alles recht bedenke, so scheint es mir, als wenn ein Geschichtsschreiber notwendig auch ein Dichter sein müßte, denn nur die Dichter mögen sich auf jene Kunst, die Begebenheiten schicklich zu verbinden, verstehen.“

Sic inde a Livio, auctore argenteae quam vocamus Latinitatis, imitationem poetarum vel apud rerum scriptores invenimus. Nec Tacitum abhorrere a more scriptorum aequalium non modo ex illo testimonio ipsius verbis supra (p. 2) allato, sed iam diu ex innumeris exemplis a viris doctis collatis apparet. Itaque eius genus scribendi proxime accedit ad componendi rationem Alexandrinorum[1]). Verissimum igitur atque aptissimum ad illustrandam Taciteae dictionis summam ac perfectam artem primus invenit Leo in ea quam supra (p. 2, adn. 1)' iam commemoravi oratione, cum diceret poetam fuisse Tacitum apud Romanos ut Platonem apud Graecos. Neque continetur poetica eius indoles ea tantum re, quod artibus tragici fere poetae plurimas curae partes composuit atque exornavit, sed maxime eo, quod suis ipsius coloribus tingit, sua excellentissima arte fingit omnia, ut quamvis ab aliis sumpta tamen sint eius propria. Neque tamen e poetarum tantum sermone capit, quod imitetur, Tacitus: inter exemplaria sua habet Sallustium quoque et Livium, rerum scriptores. Ex omnibus igitur, quos aemulatur Tacitus, auctoribus elegi tres, Vergilium dico Sallustium Livium, ut doceam exemplis certis et iam diu viris doctis probatis, qua ratione Tacitus dicta ab aliis tradita suo operi inseruerit[2]).

---

1) Cf. Reitzenstein, l. l. p. 210 adn. 3: „Wir dürfen nicht vergessen, daß wir es mit einer Art alexandrinischen Schaffens zu tun haben, freilich mit dem großartigsten Beispiel eines solchen“.

2) De qua re quoniam multi scripserunt, satis habeo e magno librorum numero gravissimos afferre hos:

Carolus Goebel, De poetico Tacitei stili colore. Berol. 1859.
Ed. Woelfflin, Tacitus. Philol. 26, 121; 399.
— — Die Nachahmung in der lateinischen Prosa, Archiv f. latein. Lexik. 12, p. 114 sqq.
A. Draeger, Über Syntax und Stil des Tacitus. Leipzig 1882^{3}.
W. S. Teuffel, Über Sallustius und Tacitus, Tübing. Programm 1868.
Fr. Leo, Die griech.-römische Biographie p. 232.
Ed. Norden, Die antike Kunstprosa I p. 329 sqq.
Reitzenstein, l. l. passim.

Simplicissima imitandi ratione Tacitus ex alio sive poeta sive rerum scriptore sumit singula verba insolite dicta, quod genus iam pridem vidit Schmaus apud Tacitum et Vergilium[1]). Sic haud inepte comparantur Aen. VIII 205

ne quid inausum
aut intractatum scelerisve dolive fuisset

et Ann. I 42 „quid per hos dies inausum intemeratumve vobis", ubi verbum „intemeratum" quoque est Vergilianum[2]), deinde Aen. II 550/1

hoc dicens altaria ad ipsa trementem
traxit et in multo lapsantem sanguine nati,

et Ann. I 65 „illi sanguine suo et lubrico paludum lapsantes excussis rectoribus disicere obvios, proterere

---

De singulis locis tractaverunt:

W. Heraeus, Arch. f. lat Lexik. 14, p. 273 sqq., quod opusculum effert laudibus Reitzenstein l. l. p. 211 adn. 2.

F. Münzer, Klio I p. 304 adn. 1.

M. Krenkel, Josephus und Lucas Leipz. 1894 p. 35.

De Tacito Vergili imitatore scripsit

H. Schmaus, Tacitus ein Nachahmer Vergils. Diss. Erlang. 1887,

De Tacito et Livio:

E. Wolff, Die Sprache des Tacitus, Frankf. Progr. 1879.

G. Andresen, Tacitus und Livius, Woch. f. klass. Philol. 1916, Heft 9 u. 17.

Praeterea horum adhibui commentatorum libros, quos, quia elegi locos ab omnibus fere prolatos, unoquoque loco afferre supersedeo:

Cornelius Tacitus . . .. ab I. Bekkero ad codices antiquissimos recognitus Lips. 1831.

P. Corneli Taciti opera quae supersunt I recensuit atque interpretatus est Orelli Zürich 1859;

II edid. Meiser, Berol. 1884.

Tacitus' Annales edidd. Nipperdey-Andresen, cuius editionis undecimae nuper prodiit tomus I. Berl. 1915, II^{10}.

C. Taciti historiarum libri qui supersunt. Edid. C. Heraeus Lips. 1885^{4}.

Taciti annales edid. Furneaux I^{2} Oxon. 1896, II 1891.

1) l. l. p. 7 sqq.

2) Cf. infra cap. II.

iacentes"[1]). Denique comparo, quod iam fecit Furneaux, Tac. Ann. XII 32 „iamque ventum haud procul mari, quod Hiberniam insulam aspectat" cum Verg. Aen. I 419/20

iamque ascendebant collem, qui plurimus urbi
imminet adversasque aspectat desuper arces;"

prioribus enim scriptis bis simplex verbum adspiciendi, non intensivum vel frequentativum adhibet Tacitus, primum Agr. 24: „Partem Britanniae, quae Hiberniam aspicit, copiis instruxit", iterum Germ. 5: „(Terra) umidior qua Gallias, ventosior, qua Noricum ac Pannoniam aspicit"[2]). Quem locum ideo huc contuli, quod est documento verbi per se haud ita rari, rara tamen significatione Vergilio auctore a Tacito adhibiti; quam eandem rationem inter Tacitum et Lucanum interdum exstare infra exemplis docebo. Ceterum talia singula verba utrum

---

1) cf. Hist. I 79 „neque conti neque gladii ... usui, lapsantibus equis et catafractarum pondere". Forbiger cum Vergili verbis confert praeterea Sil. Ital. VII 610 „tepido lapsantem sanguine" (cf. III 632), Stat. Theb. IX 162 „lapsare in sanguine", quos et ipsos respicere Vergilium iure credas.

2) Ceterum ne simplex quidem verbum saepe hac significatione occurrere videtur, sed in universum „spectare ad" vel „vergere ad" magis est usitatum. — Unum huc afferam locum, de quo haud recte iudicasse videtur Schmaus. Confert enim Aen. VII 788 „crudescunt pugnae" et Aen. XI 833 „deiecta crudescit pugna Camilla" cum Hist. III 10 „ubi crudescere seditio et a conviciis ac probris ad tela et manus transibant, inici catenas Flaviano iubet", neque quin Tacitus imitatus sit Vergilium, dubitare videtur, cum dictum Livianum (VI 18) „recrudescente Manliana seditione" remittat in adnotationem. His accedit locus, quo ipsa fere verba Vergiliana reddit Livius (X 19. 20): „Ibi interventu Gellii cohortiumque Sabellarum paulisper recruduit pugna", quare eum verbum deprompsisse e Vergilio et alibi ad alia substantiva transtulisse pro certo crediderim. Quomodo vero res se habet cum Tacito? Simplex verbum commune habere eum cum Vergilio concedo; ceterum substantivo seditionis ad Livium potius auctorem ducimur.

revera e Vergilio hausta an communia sint sermoni poetarum haud facile diiudicari ipse Schmaus concedit. Proximos eos producam locos, ubi complura verba vel totam sententiam ex alieno fonte in suum opus induxit Tacitus. Nemo, qui scriptum videt a Tacito (Ann. III 21) de Lucio Apronio bellum in Africa contra Tacfarinatem gerente gravesque poenas de seditiosis militibus sumente: „decumum quemque ignominiosae cohortis sorte ductos fusti necat“, quin exitus sententiae sit Sallustianus dubitat, sumptus ex historiarum libro quarto, cuius frg. 22 [1]) a Servio ad Aen. II 201 traditum hoc est: „Sorte ductos fusti necat“. Iam inde a Lipsio omnes commentatores hos locos inter se comparaverunt. Neque minus luculente apparet illud „virile ac muliebre secus“ (Ann IV 62) [2]) ortum esse e Sallustii Hist. II 70 „Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus magna gloria concurrentium undique, virile et muliebre secus, omnium visebatur“ [3]).

E Livii innumeris exemplis pauca quidem eligam. Cum apud Tacitum Germ. 3 scriptum legimus „quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est“, nobis in mentem venit praefationis operis Liviani (cap. 6) „quae ante conditam condendamve urbem poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare neque refellere in animo est“ [4]), quae aptius confe-

1) Sallustii historiarum fragmenta attuli ex editione a Maurenbrecher facta. (Lips. 1893).

2) „Adfluxere avidi talium, imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre secus, omnis aetas, ob propinquitatem loci effusius“.

3) Cf. Liv. XXVI 47: „Liberorum capitum virile secus ad decem milia capta.“

4) Verbis Taciti haud dubie e Livio sumptis quasi finis imponitur tali narrationis parti, quam nos capitibus includere solemus. De hoc clausulae, ut ita dicam, usu Taciteo infra diligentius tractabimus.

runtur quam (quod fecit Andresen in iis, quae iam supra commemoravi, opusculis) Liv. V 21 „haec . . . neque affirmare neque refellere operae pretium est", quem tamen locum illis haud dissimilem esse concedo. Hist. II 12 „possessa per m a r e e t n a v e s maiore Italiae parte" respicit Livianum (XXI 32) „ceterum ubi deserta munimenta nec facile se tantum progressos adsecuturum videt, a d m a r e a c n a v e s rediit" [1]. Liceat mihi ex illorum quoque numero exemplorum, quae collegit Andresen, nonnulla proferre. Tertio historiarum libro Antonium, Flavianorum ducem militum, haec verba apud milites facientem inducit Tacitus: (c. 20) „Neque enim ambigua esse, quae occurrant, n o c t e m e t i g n o t a e s i t u m u r b i s, intus hostes et cuncta insidiis opportuna". Cum his conferas velim verbis, quae pronuntiat Livius de Gallis urbem Romam aggressuris (V 39. 3): „N o c t e m q u e veriti e t i g n o t a e s i t u m u r b i s inter Romam atque Anienem consedere . . .", quas ad sententias ipsa Andreseni verba contempleris (Tacitus u. Livius II): „. . . umso bemerkenswerter, als die Wortstellung für Tacitus ungewöhnlich ist und der nüchterne Gedanke eine rhetorische Ausschmückung ausschließt. Dasselbe gilt für Ann. XIV 29 „n a v e s f a b r i c a t u r p l a n o a l v e o adversus breve et incertum" und Liv. X 2. 12 „n a v e s ad superanda vada stagnorum apte p l a n i s a l v e i s f a b r i c a t a s". Denique alludere videtur Tacitus Ann. II 88 „(Arminius) l i b e r a t o r h a u d d u b i e Germaniae" ad Liv. III 53. 3 „profecti gaudio ingenti plebis in castra accipiuntur, quippe l i b e r a t o r e s h a u d d u b i e et motus initio et exitu rei".

Ut tandem huic quoque parti addam exemplum Vergilianum, confero Taciti Ann. VI 39 „(Tiberius) quasi aspiciens u n d a n t e m per domos s a n g u i n e m (aut manus

---

1) Cf. etiam Liv. VII 32. 9: „qui (populus Romanus) Gallos tot proeliis caesos postremo i n m a r e a c n a v e s fuga compulerit."

carnificum)“ cum Verg. Aen. X 907/8

haec loquitur iuguloque haud inscius accipit ensem
undantique animam diffundit in arma cruore[1]).

Plus valet ad dispiciendam Taciti imitandi artem exemplis docere, qua ratione dicta vel sententias ex aliorum scriptis excerpta mutaverit, sive ut ea aptaret suis rebus sive variandi studio ductus. Cuius generis primum enumerabo mutati casus documenta, e quorum copia hoc fere est gravissimum et manifestissimum. Livius (VIII 37 et XXXVI 35) et Curtius Rufus (VIII 1. 48) praebent „genibus alicuius“ vel „ad pedes alicuius advolvi“, quod optime respondet usui linguae Latinae. Tacitus contra semel atque iterum (Hist. IV 81; Ann. I 13 alibi) dicit „genua alicuius advolvi“, quam verborum constructionem debet Sallustio. (Hist. frg. inc. 16: „genua patrum advolvebantur“)[2]). Ex Sallustiano „firmatus animi“ (Hist. III 26 „ad Cyzicum perrexit firmatus animi“) Tacitus facit „firmatus animo“ (Ann. I 6), quae tamen est minus inusitata dictio. Magis miramur, quod Livius X 43 narrat: „Prima luce incerti, quam in partem intenderent iter, repente in fugam consternantur“, quod audacius ponitur pro „ita consternantur, ut fugam capessant“ [3]), cum Tacitus Hist. III 79 isdem fere verbis servatis mutaverit (quod iam maiore dicitur temeritate) illud „in fugam“ in „foeda fuga“: „Ceteri foeda fuga consternantur, non ultra Fidenas secutis victoribus“, quod exquisitius esse dictum iudicat Meiser[4]). Itaque quoniam vidimus

---

1) Locos iam comparavit Schmaus collato Stat. Theb. V 234 et X 716, qui et ipse imitatur illud Vergilianum „undantem cruorem“.

2) Ann. I 32 invenimus „pedibus advolvi“, ubi auctorem propriam verborum constructionem ideo praetulisse censeo, quia praecedit „ad tribunal“; „genibus provolvi“ Ann. XI 30; XII 18; XIV 16 (cf. Wölfflin Phil. 26 p. 128).

3) Cf. Weissenborn ad Livi l. l., Heraeum ad Taciti Hist. III 79.

4) Haec quoque verba in extrema inveniuntur narratione, de qua re infra tractabo.

de industria persaepe a Tacito mutatum esse casum verbi, quem auctor scripsit, valde cavendum est, ne temere quidquam secundum exemplar loci mutemus, modo ne ipsa verborum constructio, quamvis adhibeatur rara, abhorreat a legibus linguae Latinae. Quam rem ut exemplo confirmem, unum historiarum locum ante oculos pono. Hist. III 33 his verbis finem imponit auctor Cremonae exitus narrationi: „Cum omnia sacra profanaque in igne considerent, solum Mefitis templum stetit ante moenia, loco seu numine defensum". In codice traditur „in igne", quod primus Heinsius, postea Ernestius mutaverunt in „in ignem"; quos secutus est Halm, cum „in ignes" legi mallet Heraeus collato Vergili Aen. II 624

„tum vere omne mihi visum considere in ignes Ilium" [1]).

Dubium non esse videtur, quin Tacito ante oculos sit versatus versus ille Mantuani. Nihilo minus locum Taciteum non esse mutandum contendo, cum verborum constructio sine difficultate possit explanari. Illud Vergilianum „in ignes considere" idem esse atque „omnia flagrant et domus ruinae in incendia, in flammas incidunt, corruunt" [2]) nemo non videt. Neque aliam attribuit significationem Tacitus verbis „in igne considere", quod sic fortasse in nostram linguam vertere possumus: „im Feuer zusammenstürzen, in Flammen aufgehen". Haud recte igitur viri docti textum in codice traditum mutant nulla alia de causa nisi quod Tacitus ab exemplari differre videtur. Quare editores fere omnes illam coniecturam neglexisse optime mihi quidem videntur, quam primus pro-

---

1) Cf. Aen. IX 144 at non viderunt moenia Troiae
Neptuni fabricata manu considere in ignis.
Haud ita apte cum Schmausio aliisque conferuntur Stat. Theb. III 184 „regia Cadmi fulmineum in cinerem monitis Iunonis iniquae consedit" vel Prop. III 9. 37 „non flebo in cineres arcem sedisse paternos Cadmi".

2) Sic interpretatus est verbum considendi Schol. Theb. III 184.

tulit Koechly, probavit Woelfflin[1]), cum diceret Germ. 15 pro „electi equi, magna arma“ esse scribendum „electi equi, insignia arma“, primum, quod verba „magna arma“ explicari non possent, quod argumentum pravum esse puto, tum, quod Sallustius, quem respicere Tacitum manifestum esset, scripsisset (Hist. II 63) „equo atque armis insignibus“. Non nego apud Livium et Curtium Rufum interdum coniunctum inveniri „equos, insignia arma“, neque tamen fulcire hos locos illorum sententiam contendo. Quin etiam ipsius Taciti verbis (Hist. I 88) „conspicua arma, insignes equos“ indicari censeo, id quod per se probabile est, non semper Tacitum adiectivum „insignis“ coniunxisse cum substantivo „arma“. Itaque si modo mutamus aliquid, scribendum fortasse est cum Meisero „magnifica arma“, non licenter mutandum est in „insignia“. Quid vero obstat, ne vertamus „magna arma“ in „gewaltige Waffen?“

Sed iam redeo ad rem. Iug. 11 tres reguli, Adherbal et Hiempsal fratres et frater eorum patruelis, Iugurtha nomine, paucis diebus post mortem Micipsae patris in unum convenerunt, „ut inter se de cunctis negotiis disceptarent. Sed Hiempsal . . . ignobilitatem Iugurthae, quia materno genere impar erat, despiciens, dextra Adherbalem adsedit“[2]). Quod si Tacitus dicit de Othone (Hist. II 50) „maternum genus impar neque tamen indecorum“, vide sis, quibus artibus variaverit Tacitus suum auctorem, cum faceret ex illo masculini generis adiectivo „impar“ attributum neutrius generis coniunctum cum substantivo „maternum genus“, qui ne accusativus graecus, quem vocamus, esse videretur dependens de nominativo masculini „impar“, ut haud inepte explicari potest, ap-

---

1) Philol. 26, p. 126.

2) Cf. Iug. 108: „Dabar, Massugradae filius, ex gente Masinissae, ceterum materno genere impar (nam pater eius ex concubina ortus erat), Mauro ob ingeni multa bona carus acceptusque“.

posuit Tacitus „neque tamen indecorum". Contraria proximo loco utitur ratione. Iudicat Sallustius Cat. 25 de Sempronia: „ingenium eius haud absurdum", quam sententiam verbum de verbo exscripsit Tacitus Ann. XIII 45, ubi inducitur Poppaea Sabina, in cuius moribus depingendis obversabatur auctori illa Sallustii Semproniae imago: „sermo comis nec absurdum ingenium". Hist. III 62 vero scripserat de Fabio Valenti: „procax moribus neque absurdus ingenio famam urbanitatis per lasciviam petere", ubi illud „absurdus ingenio" respicere Sallustianum dictum modo allatum luce est clarius. Sed bene adverte animum, quanta arte usus sit Tacitus. Bene concinuisset cum eius usu dicendi, si eum nominasset „procax moribus et absurdo ingenio", quo modo haud raro duas coniungit voces. Sed consulto, scilicet ut accommodaret verba priori membro „procax moribus" mutavit Sallustii dictum.

Proximi exempli auctor est Livius. „Vastum silentium" compluribus locis a Tacito repetitum (Agr. 38, 8; Hist. III 13; Ann. IV 50 alibi) nos admonet Liviani (X 34) „deinde, ut silentium vastum in urbe nec arma nec viros in turribus ac muris vidit, avidum invadendi deserta moenia militem detinet ..."[1]. Quod si Ann. III 4 invenitur: „Dies, quo reliquiae tumulo inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies" ne hic quidem locus quin ortus sit ex Liviano dubitari potest, sed novum atque singularem in modum a Tacito variatum interpretamur: „Dies modo vasto silentio quietus erat ...", quae sententiae explanatio commendatur et verisimilis fit altera parte „modo ploratibus inquies", quibus verbis contrarium prioris partis exprimi supervacuum est dicere.

1) Livium Lucanus quoque respexisse videtur mutato numero substantivi (V 508)
„Caesar sollicito per vasta silentia gressu
vix famulis audenda parat", alibi.

At non modo singula dicta, etiam narrationes vel descriptiones transtulit Tacitus ab aliis, semper fere mutatis verbis, etsi in universum consilium eius haudquaquam latet. Summa depingendi venustate auctor Aeneidis inducit Camillam „Volsca de gente“ ortam Rutulis auxiliantem contra Troianos. Insolito sed grato spectaculo omnes excitantur, implentur omnes summa admiratione: (Aen. VII 812 sq.)

illam omnis tectis agrisque effusa iuventus
turbaque miratur matrum et prospectat euntem.

Quos versus in memoriam redigit Tacitus Hist. IV 62, cum fingat barbaros legiones Romanorum captas stupentes: „Qui paulo ante Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris tectisque et undique effusi insolito spectaculo nimium fruebantur“. Apud utrumque homines insolitum spectaculum mirantes inducuntur, paucis tantum verbis congruentibus et his quoque aliquantulum mutatis, ceterum colore loci servato.

Ex eodem historiarum capite Andresen (l. l.) et editores conferunt sententiam „haec meditantibus advenit proficiscendi hora expectatione tristior“ cum Livi IX 5. 11 „haec frementibus hora fatalis ignominiae advenit, omnia tristiora experiundo factura, quam quae praeceperant animis“, et „silens agmen (et velut longae exsequiae)“ cum Liv. IX 6. 11 „adeo silens ac prope mutum agmen incessisse“.

Ex exemplis Vergilio debitis illi supra allato unum quidem addam. Ann. II 29 causa Libonis studii rerum novarum accusati et qua ratione sibi miserrimo auxilium parare sit conatus enarratur: „Lectica delatus ad fores curiae innisusque fratri et manus ac supplices voces ad Tiberium tendens immoto eius vultu excipitur“. Insolite quidem dictum est illud „manus ac supplices voces ad Tiberium tendens“, sed illa figura, quam Graeco verbo ζεῦγμα vocamus, coniuncta esse verba facile intellegimus, si recordamur nonnullos Vergili locos, ut Aen. II 688

at pater Anchises oculos ad sidera laetus
extulit et caelo palmas cum voce tetendit . .

vel potius Aen. III 176 sq.

corripio e stratis corpus tendoque supinas
ad caelum cum voce manus

aut X 667

duplicis cum voce manus ad sidera tendit [1])

Similiter quidem atque illo loco modo commemorato minore tamen audacia dicit Tacitus Ann. III 36: „Libertique etiam ac servi patrono vel domino cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur“, quem locum affert Nipperdey, ubi minore audacia hoc esse dictum ideo contendi, quia „intendere voces“ vel similia semel atque iterum occurrunt, ut eodem Taciti capite: „Abolitas leges et funditus versas, ubi in foro, in limine curiae ab Annia Rufilla . . . probra sibi et minae intendantur“. Optimo iure praeterea Nipperdey affert Soph. El. 634 sqq.

ἔπαιρε δὴ σὺ θύμαθ', ἡ παροῦσά μοι
πάγκαρπ', ἄνακτι τῷδ', ὅπως λυτηρίους
εὐχὰς ἀνάσχω δειμάτων ἃ νῦν ἔχω [2]).

Proximum erit exemplum loci Salustii bis a Tacito respecti. Tacitum Agr. cap. 37, quo continetur narratio pugnae ab Agricola cum Britannis commissae, proelium apud Cirtam factum narrando imitatum esse iam diu viderunt Woelfflin [3]), Krenkel [4]), Norden [5]), e quibus Krenkel

1) Vergilium sibi sumpsit exemplar Stat. Theb. VIII 146 (cf. Forbiger ad Aen. II 688) „frustraque manus cum voce tetendi“.

2) Simili arte atque Tacitum usum esse Vergilium Aen. II 405 me admonet Reitzenstein:

ecce trahebatur passis Priameia virgo
crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae
ad caelum tendens ardentia lumina frustra,
lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.

3) Phil. 26, p. 127 sqq.

4) Josephus u. Lucas p. 35.

5) Ant. Kunstprosa I, p. 328, Anm. 2.

diligentius rem tractavit. Sed praeter illum Agricolae locum contemplemur historiarum caput II 70, cuius singula dicta et ipse Woelfflin iam comparavit cum Sallustiana descriptione, cui procul dubio duobus locis habet rationem Tacitus, mutatis scilicet, quae res poposcit vel mens poetae variando laeta cupivit. Ad sententiam meam fulciendam primum conferam Sallustii locum et Agricolae; tum historiarum verba adhibebo.

Sall. Jug. 101.

T u m spectaculum h o r r i b i l e in c a m p i s p a t e n t i b u s; s e q u i fugere, occidi c a p i; equi atque viri afflicti, ac multi volneribus acceptis neque fugere posse neque quietem pati, niti modo ac statim concidere; postremo omnia, qua visus erat, c o n s t r a t a t e l i s, a r m i s, c a d a v e r i b u s et inter ea h u m u s i n f e c t a s a n g u i n e.

Tac. Agr. 37.

T u m vero p a t e n t i b u s l o c i s g r a n d e et a t r o x s p e c t a c u l u m: s e q u i volnerare c a p e r e atque eosdem oblatis (ablatis codd., corr. Rhenan.) aliis trucidare. iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum paucioribus terga praestare, quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre. passim a r m a et c o r p o r a et l a c e r i a r t u s et c r u e n t a h u m u s; et aliquando etiam victis ira virtusque [1]), postquam silvis adpropinquaverunt; nam primos sequentium incautos conlecti et locorum gnari circumveniebant [2]).

1) Quae e Verg. Aen. II 367 adhibita (cf. Schmaus p. 9) „quondam etiam victis redit in praecordia virtus“, narrationi ceterum Sallustio debitae summae Taciti artis sunt documento. Ceterum illud „prout cuique ingenium erat“ vel simile invenimus etiam apud Sallustium (Jug. 93, 7), Livium (VIII 21. 1) et Tacitum iterum Hist. II 5, quod affert Gudeman ad Agr. 37.

2) Hac interpunctione ultimorum verborum (pro „ira virtusque

Non exscribo ipsa Krenkeli verba, qui, quanta arte Tacitus auctorem suum mutavisset et superavisset, singulis locis demonstravit. Nemo, qui singulas sententias et totos locos inter se comparabit, summam scriptoris artem non videbit, non admirabitur. Sed crescit iam haec admiratio, cum ex Hist. II 70 nunc afferam nonnulla, quae eidem Sallustii loco debentur. Agitur de Vitellio post Caecinae victoriam campum Cremonensem visente:

> „inde Vitellius Cremonam flexit et spectato munere Caecinae insistere Bedriacensibus campis ac vestigia recentis victoriae lustrare oculis concupivit, foedum atque atrox spectaculum intra quadragensimum pugnae diem lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formae, infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus dira vastitas“.

Mirum in modum elucet ex hac descriptione, qua via ac ratione vel dicam qua magnifica scribendi arte composuerit suas narrationes Tacitus. Cum scriberet „foedum atque atrox spectaculum“, ei in mentem venit illius Agricolae loci, ubi Sallustii vestigia esset secutus, verso tantum illo „spectaculum horribile“ in „grande et atrox spectaculum“, ac statim duae illae narrationes, sua ipsius et Sallustii in animo scriptoris confundebantur. Quo factum est, ut novo loco contaminaret „lacera corpora, trunci artus“ secundum prioris suae descriptionis „corpora et laceri artus“ et altera ex parte „putres virorum equorumque formae“, cum meminisset fortasse Sallustiani „equi atque viri afflicti“. Postremo verbis „infecta tabo humus“ procul dubio Sallustium paene ad verbum imitatur „humus infecta sanguine“, nisi quod pro solita et simpli-

---

postquam ...“), quam commendat Reitzenstein, optime defenditur lectio tradita „nam primos“, pro qua coniecturas maxime temerarias invenimus apud diversos editores.

ciore voce „sanguine“ utitur verbo poetici coloris, quo atrocitas atque foeditas descriptionis iam augeatur[1]).

Sed non modo, ut modo docuimus, alii auctoris narrationem bis respexit Tacitus, sed etiam interdum vel dicta vel sententias apud illos diversis locis collocata in unum contraxit. Quod factum videmus Hist. III 73, ubi de Flavianis cum militibus partium Vitelli dimicantibus dicit: „Ex diverso (auf der Gegenseite, bei der Gegenpartei) trepidi milites, dux segnis et velut captus animi non lingua, non auribus competere“ .... Ad „captus animi“ Heraeus affert Liv. VI 36: „Et, ut ferme solent, qui a suis desciscunt, capti et stupentes animi vocibus alienis id modo, quod domi praeceptum erat, intercessioni suae praetendebant[2]), ad verba sequentia Sall. Hist. I frg. 136: „Sic vero quasi formidine attonitus neque animo neque auribus aut lingua satis competere“. Bene igitur contenditur duos illos locos in hoc unum a Tacito esse coactos, Sallustii vero verba iterum esse adhibita Ann. III 46: „Oppidani neque oculis neque auribus satis competebant[3]). Minus valet Germaniae locus (c. 23), quem tamen haud omittam: „Cibi simplices: agrestia poma, recens fera aut lac concretum“, quocum loco comparant Schmaus (p. 15) et

1) Cf. etiam Hist. III 35 „ceterum adsidere sepultae urbis ruinae noxia tabo humus non permisit“, ubi verbo haud solito „noxia“ fit iam maior dictionis licentia. Praeterea apte confertur Sil. III 847 „hic sanguine multo infectae rubuere nives“ ubi melius iam apparet „inficere“ dici pro „tingere“, ut Lucr. II 501 „purpura Thessalico concharum infecta colore“. Ad locos supra allatos cf. praeterea Sall. Hist. I 55, 14: „Simul humanas hostias vidistis et sepulcra infecta sanguine civili“.

2) Quam insolita sit haec dictio, optime perspicimus, si recordamur Ciceronem pro „captus animi“ dixisse „mente captus“, quod adnotavit Heraeus.

3) Orelli praeterea confert ad Ann. III 46 Liv. XII 5, 3 „ut vix competeret animus“, V 42. 3 „ne auribus quidem atque oculis satis constare poterant“.

Woelfflin (Philol. 26, p. 191) Aen. VII 111

Cereale solum pomis agrestibus augent

et Ge. III 463

lac concretum cum sanguine potat equino,

recte, ut videtur. Repetit Tacitus Ann. XV 45 „per simplicem victum et agrestibus pomis".

Proxima quoque, quam afferam, res plurimum valet ad dispiciendam Taciti scribendi artem. Pertinet haec quidem quaestionis pars ad poetarum tantum imitationem talem, qualem iam respexit Schmaus [1]). Res ita fert, ut ipse versus heroici finis cumprimis animo inhaereat, unde evenit, ut identidem verba a poetis in fine talis versus posita soluto tamen de industria numero operi Taciti inserta inveniamus. Cuius rei illustrissima tantum repetam exempla, quae iam attulit Schmaus in dissertatione supra commemorata. Nam hoc quoque valde attinet ad explicandam rationem inter Tacitum et Lucanum intercedentem. Apud Vergilium Aen. I 407 sqq. sic affatur et incusat Aeneas Venerem matrem a filio avertentem:

quid natum totiens, crudelis tu quoque, falsis
ludis imaginibus? cur dextrae iungere dextram
non datur ac veras audire et reddere voces?

apud Tacitum Hist. II 41 Caecina, legatus Vitellianarum partium, „audire condiciones ac reddere parabat, cum praecipites exploratores adesse hostem nuntiavere" [2]). Tum conferas velim Verg. Aen. II 752 sqq.

principio muros obcuraque limina portae,
qua gressum extuleram, repeto et vestigia retro
observata sequor per noctem et lumine lustro

cum Taciti Hist. II 70 „inde Vitellius Cremonam flexit et spectato munere Caecinae insistere Bedriacensibus campis ac vestigia recentis victoriae lustrare oculis

---

1) Cf. etiam Regel, l. l. p. 42.

2) Cf. Catull. 64, 166 „nec missas audire queunt nec reddere voces".

concupivit", quo loco quam refertum sit caput sententiis aliis auctoribus debitis ne praetereas, praesertim cum de nonnullis iam supra dixerimus. Denique Ann. II 81 „hastas saxa et faces ingerere (iussit)" imitatur Verg. Aen. XII 330 (et IX 763)

seminecis volvit multos aut agmina curru
proterit aut raptas fugientibus ingerit hastas.

Paulo copiosius de eis agam partibus, a quibus Tacitus singulas narrationes vel capita narrationum aut incipere aut in quas ea desinere voluit. Utrique enim loco omnia orationis lumina conveniunt, inter quae haud ultimum locum apud Tacitum illae quae proprie vocantur sententiae obtinent (cf. exempli gratia Quintiliani XII 10. 48). His si adiuncta est clari alicuius auctoris imitatio unusquisque legentium exemplar agnoscit imitatorisque artem persentit.

E Livii sacrario sumpsisse videtur Tacitus illud „mortis exactor", quod dicit in fine narrationis de morte Pisonis relatae (Ann. III 14): „Igitur inditus lecticae et a tribuno praetoriae cohortis deductus est, vario rumore, custos saluti an mortis exactor sequeretur". Adhibet enim verbum hac significatione haud ita solitum Liv. II 5. 5: „Qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit". Verba de Sacroviri exitu Ann. III 46 emissa „incensa super villa omnes cremavit" sine dubio mutata sunt Liviana (XXI 14. 4): „Cui enim parci potuit ex iis, qui aut inclusi cum coniugibus ac liberis domos super se ipsos concremaverunt". Ann. IV 32 explicat Tacitus, quae sit causa, quod, quae ipse elaboraverit, levia ac parva esse videantur prae illis, quae veteres scriptores tradiderint. Carere enim suam aetatem ingentibus illis bellis, maestas esse urbis res et principem proferendi imperii incuriosum: „Non tamen sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex

1) Hoc quoque loco singula afferam exempla a multis viris doctis congesta, quos singillatim afferre supersedeo.

quis magnarum saepe rerum motus oriuntur". Similiter Livius XXVII 9. 1, quamvis aliam ob causam, scripsit: „Ceterum transportati milites in Siciliam — et erant maior pars Latini nominis sociorumque — prope magni motus causa fuere: adeo ex parvis saepe magnarum momenta rerum pendent". Hic eximie videre licet, qua ratione fingat suas sententias Tacitus. Quin ei ante oculos versatus sit locus, nemo est, qui dubitet, quamvis ipsa verba aliter sint collocata.

Addo ex annalium libris unum locum, ubi non certum auctorem secutus quasi proverbio finit narrationem Tacitus. Punitus erat homo quidam eadem poena, qua ipse olim delator alios affecerat cives, qua re impulsus Tacitus sic Ann. VI 10 extremam fingit sententiam: „quo laetius acceptum sua exempla in consultores recidisse". Proverbium occurrit primum apud Hesiodum (Ἐργ. κ. ἡμ. 265)

οἷ γ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων,
ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη,

tum Latine versum apud Varronem, de re rust. III 2. 1: „Opinor, inquam, non solum, quod dicitur, malum consilium consultori est pessimum, sed etiam bonum consilium, qui consulit et qui consulitur, bonum habendum", similiter dictum apud Sallustium Hist. I 74: „Nam talia incepta, ni in consultorem vertissent, rei publicae pestem factura", Hist. I 77: „(maxime vellem) prava incepta consultoribus noxae esse". Alia possum enumerare exempla: eos tantum attuli locos, ubi Graecum „βουλεύσας" versum videmus in „consultor", quod verbum hoc sensu proprium est priscae Latinitatis et eorum scriptorum, qui hanc imitantur, ut Afran. com. 332 (eaque se ferme dedere melius consultoribus, quam restrictim cogitata atque omnibus rationibus), Sallust, Tacitus, Fronto (sive tu me temerarium consultorem sive audacem puerulum . . . esse existimabis p. 40, 24 cf. 41, 22).

Ex historiarum exemplis Sallustianum ponam in initio. Finis capitis 73 libri tertii sic est: „Fuere qui excepto Vitellianorum signo, quo inter se noscebantur, ultro rogitantes respondentesve audaciam pro latebra haberent". Recte Heraeus admonet nos ultima verba composita esse secundum illud Sallustianum „audacia pro muro habetur" (Cat. 58), quae apud contionem dicit Catilina. Sed non modo sumpsit haec verba e Sallustio Tacitus, sed etiam ita mutavit et exaggeravit sententiam iam a Sallustio metaphorae figura fictam, ut quasi paradoxon exoreretur

Addam, quae ex Livi libris prompsi exempla ac primum quidem cum Heraeo et Andresen[1]) comparo ea verba, quibus apud Livium Sp. Postumius, auctor foedae pacis cum Samnitibus factae, apud Tacitum Dillius Vocula legatus Romanus finiunt orationes:

Liv. IX 8. 8.

Vos, di immortales, precor quaesoque, si vobis non fuit cordi Sp. Postumium T. Veturium consules cum Samnitibus prospere bellum gerere, at vos satis habeatis nos vidisse sub iugum missos, vidisse sponsione infami obligatos, videre nudos vinctosque hostibus deditos, omnem iram hostium nostris capitibus excipientes; novos consules legionesque Romanas ita cum Samnite gerere bellum velitis, ut omnia ante nos consules bella gesta sunt.

Tac. Hist. IV 58.

Te Iuppiter optime maxime, quem per octingentos viginti annos tot triumphis coluimus, te Quirine Romanae parens urbis, precor veneroque, ut, si vobis non fuit cordi me duce haec castra incorrupta et intemerata servari, at certe pollui foedarique a Tutore et Classico ne sinatis: militibus Romanis aut innocentiam detis aut maturam et sine noxa paenitentiam.

1) Cf. Andresen, Wochenschr. f. klass. Phil. 1916, 17.

Coniecturam imitationis ea re possumus fulcire, quod, ut iam supra (p. 15) vidimus, tota haec narratio de Caudina clade facta aliis quoque locis Tacito est obversata.

Sed iam ad proximum accedamus exemplum. Hist. III 70 his verbis finem imponit Tacitus capiti: „Ipse (Vitellius) neque iubendi neque vitandi potens non iam imperator, sed tantum belli causa erat", quacum conferas sententia Liv. XXI 21. 1: „Seque (Hannibalem) non ducem solum, sed etiam causam esse belli". De fine capitis eiusdem libri „ceteri foeda fuga consternantur" iam supra (p. 11) dixi.

Item admoneo in fine cap. 29 libri quarti Tacitum vestigiis dictionis Livianae insistere; nam „sic exhausta nocte novam aciem dies aperuit" valde simile est Liviano (III 15) „lux deinde aperuit bellum ducemque belli" et (XXVII 2) „lux fugam hostium aperuit"[1]. Quod si recte iudicavimus, cum duabus ex alienis auctoribus coniunctis sententiis, Lucani dico „exhausta nocte" (cf. infra cap. II) et Livi extremum caput ornaverit. Vergilius sine dubio fuit exemplar eius loci, ubi exponit Tacitus principia gentis Iudaeorum (Hist V 2): „Clara alii Iudaeorum initia (tradunt) Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditae urbi Hierosolymae nomen e[2]) suo fecisse". Similiter dicit auctor Georgicorum I 137 sq.

navita tum stellis numeros et nomina fecit
Pleiadas, Hyadas claramque Lycaonis Arcton.

Sic fortasse illud „in utrumque latus transverberatus" (Hist. I 42; cf. III 17) imitatur Verg. Aen. XI 667

Euneum Clytio primum patre, cuius apertum
adversi longa transverberat abiete pectus,

sed pro certo hoc non habuerim.

1) Cf. Agric. 38 „proximus dies faciem victoriae latius aperuit".

2) Nomine cod., corr. Rhenan.

Pluribus verbis de proximo mihi est disserendum exemplo. Continetur cap. 28 tertii libri renovatae Cremonae oppugnationis narratio, qua summa pugnatum est acerbitate: „Integri cum sauciis, semineces cum exspirantibus volvuntur, varia pereuntium forma et omni imagine mortium". Quae cum scriberet, Tacito ante oculos versatum esse Vergili Aen. II 369 „plurima mortis imago" in fine hexametri positum crediderim. Neque vero omitto cum Heraeo in memoriam revocare Thucydideum (III 81) illud "πᾶσά τε ἰδέα κατέστη θανάτου, καὶ οἷον φιλεῖ ἐν τῷ τοιούτῳ γίγνεσθαι, οὐδὲν ὅτι οὐ συνέβη καὶ ἔτι περαιτέρω" [1]). Nonne ultima Taciti verba ex illo Thucidideo versa esse videntur? Quin etiam auctore Reitzensteinio ultra progressa proxima exscribam Thucydidis verba: „Καὶ γὰρ πατὴρ παῖδα ἀπέκτεινε καὶ ἀπὸ τῶν ἱερῶν ἀπεσπῶντο καὶ πρὸς αὐτοῖς ἐκτείνοντο ..." Similiter narrat cap. 25 Tacitus: „Eo notabilior caedes fuit, quia filius patrem interfecit ..." Ceterum tota narratione Vergilium fortasse respici postea referam.

Eiusmodi sententiis finem orationibus interdum imponi iam supra (p. 23) docui uno quidem exemplo, cui hic novum addam [2]). Hist. III 24 in extrema Antoni oratione haec scripta videmus: „Illic signa armaque vestra sunt, et mors victis: nam ignominiam consumpsistis". Quibuscum sunt comparanda Sil. Ital. XI 34

luxus et insanis nutrita ignavia lustris
consumptusque pudor peccando unisque relictus
divitiis probrosus honor [3]).

---

1) Cf. Thuc. VII 29 καὶ ἰδέα πᾶσα καθεστήκει ὀλέθρου.

2) Cf. Norden, Antike Kunstprosa, p. 330 adn. 1 ad Ann. XIV 43 sqq.: „Die Rede schließt bezeichnenderweise mit einer γνώμη" (habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur).

3) Quod e Silio Italico, Lucani aequali, auctore Punicorum, hoc attuli exemplum, paucis defendam, cum referam nonnullos locos, quos iam Furneaux cum Tacito comparavit, ut Sil. VII 582

Sed non modo finem eiusmodi imponit narrationi Tacitus, haud raro incipit quoque novam narrationis partem tali sententia ab alio auctore sumpta, sed ea ratione, ut

---

Poenus ab excelso rapidos decurrere vallo
ut vidit, tremuere irae, ceciditque repente
cum gemitu spes haud dubiae praesumpta ruinae

cum Ann. III 46 „praesumpta spes hortandi causas exemerat", ubi uterque quidem potest alludere ad Verg. Aen. XI 18 „spe praesumite bellum" (Furneaux), quem ad locum Schmaus contulit Ann. XI 7 „ut aeternitatem famae spe praesumat", sed mutatione rei considerata fit verisimilius Tacitum respicere ipsum Silium. Ad Ann. III 43 „cruppellarios vocant, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles" Furneaux notat apud neminem talem verborum constructionem inveniri nisi similem apud Silium VII 761 „impenetrabilis irae". Ann. I 31 „implere ceterorum rudes animos: venisse tempus, quo . . ." et Ann. IV 9 „misericordia sui gloriaque animos audientium impleverat" haud inepte comparantur cum Sil. I 104 „attollitque animos hortando et talibus implet" (sequuntur verba). Contradicit denique sine dubio sciens Tacitus sententiae Sili Hist. I 15: „fortunam adhuc tantum adversam tulisti: secundae res acrioribus stimulis animos explorant, quia miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur". Vide enim, quae sit sententia Silii quam proloquitur IV 603 sq.:

explorant adversa viros, perque aspera duro
nititur ad laudem virtus interrita clivo.

Quamvis sint minus certa, tamen ne proxima quidem praeteribo exempla. Commemorat enim Furneaux apud nullum auctorem nisi Silium occurrere verbum „vetus" coniunctum cum genetivo (cf. Goebel p. 25), quod habet fere sensum verbi „peritus" vel, ut nos dicimus, „alterprobt, alterfahren". Sic dicit Silius XVII 292 „dux vetus armorum", quocum comparare licet Hist. IV 20 „veteres militiae", cum Ann. II 66 Tacitus dicat „(Caesar) Pomponium Flaccum, veterem stipendiis . . . Moesiae praefecit". Sil. IV 530 „gnaros belli veteresque laborum" confer cum Tac. Ann. I 20 „vetus operis ac laboris". Sed unus Sallustii locus affert dubitationem, quem commemorare debemus, priusquam iudicare possumus sumpseritne Tacitus hunc usum verbi „vetus" e Silio necne. Sall. Iug. 97, 5 sic narrat: „Denique Romani veteres et ob ea scientes belli, si quos locus aut casus coniunxerat, orbis facere . . .", ubi quaerendum est, sitne coniungendum „veteres" etiam cum verbo „belli" an solum cum „scientes". Quod si

haud semper initium dilucide notetur et dinoscatur, sed interdum transitus potius efficiatur. A luculentissimo initium capiam exemplo. Praeclarum annalium exordium nemo est, quin memoria teneat: „Urbem Romam a principio reges habuere“. Quae verba respicere Sallustianum locum primus vidit Woelfflin[1]), probavit Norden[2]), initium dico sexti Catilinae capitis: „Urbem Romam. sicut ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani, qui Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur, cumque his aborigines“. Neque tamen recte in ea re iudicasse videtur Woelfflin, quod dicit contradicere Tacitum Sallustio, cum, quae hic sentiat de origine populi Romani, valde dissentiat ab iis, quae ceteri omnes tradiderint. Nonne rem diversissimam tractant auctores, cum Tacitus loquatur de primordiis rei publicae, Sallustius vero de origine gentis Romanae?

Ann. VI 50 de extremis Tiberii diebus locuturus sic incipit Tacitus: „Iam Tiberium corpus, iam vires, nondum dissimulatio deserebat“. Cum his verbis iure confert

---

illud praeferimus, hunc usum Tacitum non e Silio, sed e Sallustio sumpsisse verisimilius est. Neque tamen probabile est Sallustiano iam verbo sensum verbi „periti“ inesse, quia addit „scientes belli“. — Postremo Furneaux confert Ann. I 25 „atrox clamor et repente quies“, totam simul narrationem militum seditiosorum cum Sil. X 395 sq.

clamor saepe repens et saepe silentia fixis
in tellurem oculis“,

ubi nihil pro illius sententia, nihil contradicere ausim, cum certiora nobis desint argumenta. Quodsi Ann. III 20 „simul excepta vulnera et quamquam transfosso oculo adversum os in hostem intendit“ confert Furneaux cum Sil. IX 367

dum volnera tergo
bellator timet Ausonius per pectora saevas
exceptat mortes et leto dedecus arcet,

statim admoneo illius Lucani versus II 310/11

cunctis ego pervius hastis
excipiam medius totius volnera belli.

1) Phil. 26, p. 128 sq.

2) Ant. Kunstprosa I, p. 328 Adn. 2.

Nipperdey Thuc. VII 75. 4: Athenienses terra marique in Sicilia a Syracusanis victi magno afficiuntur maerore. Corporibus occisorum nondum sepultis ei, qui superstites, sed vulnerati et fessi sunt relicti, erant digniores etiam misericordia. Multi integros amicos sequi sunt conati: „εἴ τῳ δὲ προλίποι ἡ ῥώμη καὶ τὸ σῶμα, οὐκ ἄνευ ὀλίγων ἐπιθειασμῶν καὶ οἰμωγῆς ἀπολειπόμενοι . . .“ [1]).

Sic et Ann. XIV 41 „perculit is dies Pompeium quoque Aelianum“ certe alludit ad Livi 42, 67. 1 „hic dies et Romanis refecit animos et Persea perculit, ut . . . in Macedoniam reciperet copias“.

Inde a primis libri annalium sexti capitibus graves in Seiani conscios sententiae nobis ponuntur ante oculos. Tum transitum ad magnum aliquod et memorabile facinus, quod neglectum a prioribus rerum scriptoribus ipse primus historiae inseruerit, his verbis facit Tacitus quasi operis sui argumentum excusans et qua ratione ducatur ipse explicans: (cap. 7) „Neque sum ignarus a plerisque scriptoribus omissa multorum pericula et poenas, dum copia fatiscunt aut, quae ipsis nimia et maesta fuerant, ne pari taedio lecturos afficerent verentur: nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata“. Cum his confer Sall. Hist. I 88 de Sertorio dictum: „Magna gloria tribunus militum in Hispania T. Didio imperante, magno usui bello Marsico paratu militum et armorum fuit, multaque tum ductu eius peracta primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum celebrata“, quod cum ullo sensu carere nemo non videat, levissima scribitur coniectura, quam proposuit Gronovius, „incelebrata“, etiamsi apud neminem nisi Tacitum occurrit hoc verbum; sed ipse Taciti locus Sallustii simillimus nos adhortatur, ut legamus „incelebrata“. Iam quid inde sequatur videamus. Si re vera Sallustium imitatus

1) Ad totam sententiam haud inepte confertur Liv. I 25. 6 „Romanas legiones iam spes tota, nondum tamen cura deseruerat.“

est Tacitus, certe agnosci voluit. Ille celatas Sertorii virtutes queritur „primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum“; ignobilitas certe cadit etiam in Terentium equitem Romanum, quem Tacitus historiae inserere vult; invidiam prioribus scriptoribus exprobare non potest; parum curiosos eos dicit nimisque taedii legentium rationem habentes, sibi vero, cui hoc maximum historiae officium videatur, „ne virtutes sileantur“ (Ann. III 65) religioni fuisse exemplum constantiae praetermittere.

Huc accedit, quod proxima fragmenti Sallustii sententia haec est: „Quae vivos facie sua ostentabat aliquot adversis cicatricibus et effosso oculo. Neque illis anxius, quin ille dehonestamento corporis maxime laetabatur, quia reliqua gloriosius retinebat“, cuius sententiae verbum „dehonestamento“ dictum de effosso oculo et ipsum repetit Tacitus Hist. IV 13 de Iulio Civili: „Sertorium se aut Annibalem ferens simili oris dehonestamento“ [1]).

Ad Ann. I 65 „nox per diversa inquies, cum barbari festis epulis, laeto cantu aut truci sonore subiecta vallium ac resultantis saltus complerent“ .... Andresen confert Liv. V 37. 8 „iam omnia contra circaque hostium plena erant, et nata in vanos tumultus gens truci cantu clamoribusque variis horrendo cuncta compleverant sono“; Taciti „subiecta vallium“ non minus Liviano est tinctum colore.

Ann. I 17 „postremo promptis iam et aliis seditionis ministris velut contionabundus interrogabat, cur ...“ proxime accedit ad Livi XXI 53, 6 „haec assidens aegro collegae, haec in praetorio prope contionabundus agere“, et Liv. III 47 „haec prope contionabundus circumibat homines“.

Ann. I 47 „immotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit non omittere caput rerum“ scriptum est secundum Vergili Aen. IV 15

1) Cf. Reitzenstein l. l. p. 267, Anm. 3.

si mihi non animo fixum immotumque sederet,
ne cui me vinclo vellem sociare iugali . . .,

quem locum iterum fortasse respexit Ann. XV 5: „Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi" [1]). Minus certe iudicarim de alio loco. Ad Ann. I 66 „forte equus abruptis vinculis vagus et clamore territus quosdam occurrentium obturbavit" Furneaux notat verba similia esse Vergili Aen. XI 492

qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis
tandem liber equus, campoque potitus aperto . . .

Non negaverim verba Taciti similia esse Vergili et poetice fere esse dicta. Vetus est simile a Vergilio adhibitum, unde verba fortasse sunt sumpta. Cf. Enn. ann. 514 sqq. (Vahl. [2])

et tum sicut equus qui de praesepibus fartus
vincla suis magnis animis abrupit . . .,

quae versa ex Homero esse paene supervacaneum fuit commemorare, cf. Il. Z 507:

ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
δεσμὸν ἀπορρήξας θείῃ πεδίοιο χροαίνων.

Ut iam transgrediar ad historias, initium capiam ab eo exemplo, quod etiamsi nullo exemplo adhibito a Tacito fingi potuit tamen bene illustrat rationem eius, qua utitur ad introducendam novam narrationis partem. Motu Vitelliano orto duo legati exercitus diversis itineribus in Italiam ducunt. Primum describitur iter Fabii Valentis per Gallias directum, tum his verbis ad Caecinam transitur (I 67): „Plus praedae ac sanguinis Caecina hausit".

---

1) Schmaus l. l. p. 9 adn. 2 ad Vergili versus attulit praeterea Stat. Theb. VI 160

fixum matri immotumque manebat
hac altrice nefas,

Liv. XXI 44 „si hoc bene fixum omnibus destinatumque animo est, iterum dicam vicistis".

Plin. epp. 7, 33. 6 „Si fixum tibi istud ac deliberatum, sequar te, ut, si qua ex hoc invidia, non tantum tua".

Iam vide, quanta atrocitate hoc sit dictum. Obversatur Tacito illud „haurire sanguinem“, quod fortasse haud insolite est dictum. Tum audacia quadam cum hac imagine coniungit figura ζεύγματος, quam vocamus, adhibita „praedam haurire“. Denique more suo brevissime adiungit „Caecina hausit“ pro „milites Caecinae in itinere hauserunt“, unde fit, ut sententia mirae atque inauditae brevitatis oriatur. Sed ad cetera revertor. Eventus pugnae ad Bedriacum factae inscius Vitellius „ut ad integrum bellum reliquas Germanici exercitus vires trahebat“ (Hist. II 57). Quod imitatur Sall. Iug. 73, qui sic caput incipit: „Igitur Metellus, ubi de casu Bomilcaris et indicio patefacto ex perfugis cognovit, rursus tamquam ad integrum bellum cuncta parat festinatque“. — Hist. II 74 „Vespasianus bellum armaque et procul vel iuxta sitas vires circumspectabat“, quae sententia duorum continet auctorum dicta. Nam „bellum armaque spectabat“ est Livianum (III 69 „arma et bellum spectabat; IX 10. 5 „arma cuncti spectant et bellum“), „procul vel iuxta sitas vires“ Sallustianum, quod legimus scriptum in Mithridatis epistula (Hist. IV 69. 17): „Convenas olim sine patria, parentibus, pestem conditos orbis terrarum, quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios, amicos, procul iuxta sitos, inopes potentisque trahant exscindant“. Eandem respexit Tacitus Mithridatis epistulam, cum componeret, quae in proximis sequuntur capitibus. Exorditur Mucianus orationem apud ipsum Vespasianum habitam his verbis (II 76): „Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, aestimare debent, an quod inchoatur, rei publicae utile, ipsis gloriosum, an promptum effectu aut certe non arduum sit; simul ipse, qui suadet, considerandus est, adiciatne consilio periculum suum, et si fortuna coeptis adfuerit, cui summum decus adquiratur“. Differre concedo sensum Mithridatis verborum (IV 69. 1): „Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum

pacem agere, dein, quod quaesitur, satisne pium, tutum, gloriosum an indecorum sit". Tamen formam sententiarum, quin etiam singula verba adeo aemulatur Tacitus, ut nemo neget rationem intercedere inter duos auctores. Tum sic finit orationem Tacitus: „Meliorem in bello causam quam in pace habemus; nam qui deliberant, desciverunt", ubi luculentissime rursus apparet eum tam brevibus et acutis, ut ita dicam, sententiis in fine graviorum operis partium libenter uti. —

Laudatur Antonius, qui pugna apud Bedriacum commissa summam praestiterit virtutem: (Hist. III 17) „Nullum in illa trepidatione Antonius constantis ducis aut fortis militis officium omisit. Occursare parentibus, retinere cedentes, ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio manu voce insignis hosti conspicuum suis". Exemplar loci est Sallusti Cat. 60: „Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis accersere, omnia providere, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire; strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur". Iam velim admireris Taciti artem: hanc ultimam praeclaram sententiam, qua maxime manifestum fieret eum imitari Sallustium, in prima posuit descriptione. Tum vero Sallustii ei in mentem venit narrationis ac si non ipsa verba, at tamen formam atque, ut ita dicam, ἦθος narrationis sequebatur.

Narratur Capitolii incendium, cuius auctores erant ipsi milites Romani; tum his verbis incipit proximum caput: (Hist. III 72) „Id facinus post conditam urbem luctuosissimum foedissimumque rei publicae populi Romani accidit nullo externo hoste . . .", quod imitatur Sallustianum Cat. 18, 8 „quodni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post conditam urbem Romam pessumum facinus patratum foret". — Dicit Cotta in oratione apud populum Romanum habita (Sall. Hist. II 47): „Neque ego callidam

facundiam neque ingenium ad male faciendum exercui". Similiter Cerialis (Tac. Hist. IV 73) suam incipit orationem: „Neque ego unquam facundiam exercui, et populi Romani virtutem armis adfirmavi".

Unum tantum e Livio promptum afferam exemplum, unum e Vergilio, priusquam ad cetera progrediar. Hist. IV 16 „Civilis dolo grassandum ratus incusavit ultro praefectos" certe sumptum est e Livi X 14. 13 „(Fabius) consilio grassandum, si nihil vires iuvarent, ratus", Hist. III 30 „ac rursus nova laborum facies" e Verg. Aen. VI 103 sq.

non ulla laborum,
o virgo, nova mi facies inopinave surgit.

His omnibus exemplis quoniam docuimus, quae esset Taciti ars imitandi, iam est tempus suscipere ipsum propositum et tractare de Tacito Lucani imitatore, quam opusculi partem sic disponemus, ut primum repetamus exempla a viris doctis collata, tum quae ipsi collegimus, proferamus certa, probabilia, dubia, denique ea, quae ab aliis falso prolata putamus.

II.

De Tacito Lucani imitatore.

In hac altera opusculi parte primum est meum referre, quae adhuc de hac re nobis proposita sint scripta. Iam inde ab Orelli Taciti interpretum plurimi unum alterumve Lucani versum ad locos Taciteos attulerunt, e quorum numero imprimis affero Nipperdeium, Furneaux, Heraeum, Meiserum. — Contra Lucani commentatores similes Taciti locos referre non omiserunt, ut Weber[1]), Francken[2]), Haskins[3]). Paulo diligentius hanc rem trac-

1) M. Ann. Lucani Pharsaliorum editionem morte Cortii interruptam absolvit Car. Frid. Weber Lips. 1828.

2) M. Annaei Lucani Pharsalia ... edid. Francken.

3) M. Annaei Lucani Pharsalia edited with English notes by C. E. Haskins London 1887. Lucani versus affero ex Hosii editionibus Lips. 1892 et 1905 ².

tavit maioremque exemplorum copiam colligere instituit in ea quam supra (p. 6 adn. 2) iam commemoravi dissertatione, Carolus Goebel, qui ad singularis et inauditas Taciti voces, quas quidem more poetarum finxisse videretur, explicandas attulit interdum Lucani verba. Cuius tamen de cura sic iudicavit Woelfflin[1]: „Schlagende Reminiszenzen, wie bei Vergil, finden wir unter den beigebrachten Stellen nicht, so daß es zur Zeit noch fraglich ist, ob Tacitus den Lukan viel gelesen und seine Diktion nach ihm gebildet habe. Auch das äußere Zeugnis Dialog. 20 ist nicht maßgebend". De Dialogi loco aliter me iudicare supra exposui, ipsa Woelfflini sententia cur mihi displiceat infra demonstrabo. De locis a Goebelio collectis iniquius certe iudicavit, quorum unus certus, alii probabiles videntur, nonnullos ipsa reiciam omissis tamen quos haud recte allatos quivis primo aspectu videt. Est autem iste, quem certum esse censeo, locus idem ille, quem postea comparavit Furneaux quemque infra copiosius disseram, Taciti dico annalium I 65, qui locus de Caecinae „dira quiete" sumptus est e Lucani VII 26. Alterum quoque, quem profert locum Goebel, Germ. 14 dico et Agr. 31, ubi videtur Tacitus Lucano auctore verbum anni posuisse pro „messis", postea tractabo. Cetera, ut dixi, exempla haud habeo pro certis. Hist. IV 72 „Cerialis metu infamiae, si licentia saevitiaque imbuere militem crederetur, pressit iras" haud dissimile est Lucani II 521 „premit ille gravis iras". Utrobique igitur simplex verbum premendi positum est pro solitiore et solutae orationi aptiore „supprimendi[2]). Tac. Hist. V 6

---

1) Philol. 25, 128.

2) Initium quoque capitis Tacitei poeticum quendam prae se fert colorem. Ad verba „avido milite eruendae civitatis" Heraeus adnotat „eruendae" dictum esse pro „evertendae", ut Verg. Aen. II 4

Troianas ut opes et lamentabile regnum
eruerint Danai

vel II 611 totamque a sedibus urbem eruit,

„praecipuum montium erigit Libanon (Iudaea), confert optimo iure Goebel cum Luc. II 396 „umbrosis mediam qua collibus Apenninus erigit Italiam“ collato praeterea Germ. 27 „sepulcrum caespes erigitur“: hoc loco revera Taciti imago simillima est Lucani, illo, ut dicit Goebel, utitur similibus verbis imagine inversa.

Audacius mihi videtur esse, quod Goebel Ann. XI 19 „degeneres insidiae“ confert cum Luc. X 441 „degeneres latebrae“, quia degener adiectivum haud raro adhibetur usu translato. Similiter de proximo loco iudico. Historiarum libri quarti cap. 62 audacter dicit Tacitus: „quippe intra vallum deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam dies et campus,“ Luc. IV 529

detegit orta dies stantes in rupibus Istros.

Taciti certe caput imitationibus abundat (velut verba „ex agris tectisque etc.“ e Vergilio ducta sunt, cf. supra p. 15). Sed verba a Goebelio allata rectius confert Heraeus cum Livii (IX 6. 3) „ita traducti sub iugum et, quod paene gravius erat, per hostium oculos, cum e saltu evasissent, etsi velut ab inferis extracti tum primum lucem adspicere visi sunt, tamen ipsa lux ita deforme intuentibus agmen omni morte tristior fuit“. Neque Dialogi cap. 12 „loca pura atque innocentia“ equidem conferri velim cum Lucani verbis (VII 869)

o superi liceat terras odisse nocentes (cf. IX 81),

quoniam, cum coniunxisset Tacitus substantivum „loca“ cum adiectivo „purus“, facile sequebatur, ut adderet „innocentia“, quasi essent haec loca spiritu vitali atque animo praedita.

Pauca denique addam de iis locis a Goebelio commemoratis, ubi singularem grammaticam, quae vocatur, constructionem deduxisse videtur Tacitus e Lucano. Velut

---

„Quid tantum Cremonam meruisse“ nobis ponere ante oculos Aen. VII 307 „quod scelus aut Lapithas tantum aut Calydona merentem?“

„sponte“ cum genetivo coniunxisse Tacitum[1]) auctore Lucano post Goebelium contenderunt alii. Idem tamen occurrere apud Varronem Pliniumque maiorem adnotavit Furneaux.

Cum Hist. V 14 „nandi pavidus“ comparat Goebel (et postea Heraeus) Luc. VIII 811 „pavidos Cilicas maris“, praeterea Ann. IV 38 „offensionum pavidus“. Praeterquam quod huiusmodi adiectiva cum genetivo coniuncta apud Tacitum exemplo poetarum sermonis haud raro occurrunt, invenimus praeterea apud Senecam, Herc. Fur. v. 293

oblitos sui
lucisque pavidos ante te populos age,
pavidum leti genus humanum
cogis longam discere noctem,

qui usus inde fortasse potest explicari, quod adiectiva supposita paulatim participibus usum genitivi ab illis accipiebant. E „pavens lucis“ vel similibus fit „pavidus lucis“[2]). Quare Tacitum in hac re sequi Lucanum nullo exemplo confirmatur, haud magis quam proximo loco. Adiectivum „parcus“ semel atque iterum apud Tacitum coniungitur cum genetivo[3]); huic usui respondet Lucani IX 590 „somni parcissimus ipse est“. Sed iam Horatius dixit (Sat. 2, 2, 62) „veteris non parcus aceti“, (2, 5, 79) „donandi parca iuventus“. Kühner (II 1. p. 442) habet vocem „parcus“ in numero adiectivorum „copiae et inopiae“, unde expli-

---

1) Exempli gratia affero Hist. III 16: „nec sponte Antonii properatum (erat)“, Hist. IV 19: „unde suspicio sponte legatorum excitari bellum“.

2) Qua ratione non omnia adiectiva cum genetivo coniuncta posse explicari bene mihi conscia sum. Alia argumenta, ut analogiam, exemplum Graecorum poetarum, inveni apud Kühner, Lat. Gramm. II 1[2] p. 443. Imprimis respicienda sunt, quae scripsit de hac re Woelfflin, Arch. f. lat. Lex. 13, 407 sqq., tum Draeger, Hist. Syntax I 474 ff.

3) Hist. III 75 „civium sanguinis parcus“, I 49 „Galba pecuniae alienae non appetens, suae parcus, publicae avarus“.

catur sine dubio genetivus. Sed bene adverte locum supra allatum, Hist. I 49 dico, ubi „parcus“ cum genetivo coniunctum respondet participio „appetens“ cum eodem casu coniuncto, quo confirmetur sententia mea supra prolata[1]). Denique illi „parcus suae“ respondet in extrema sententia „publicae avarus“, cui haud minor est audacia. Uno tantum addito loco finem huic imponam parti. Hist. IV 39 „ne paratis quidem corrumpi facilis“ simile quidem est Lucani II 656 „capi facilis“, neque tamen ullam rationem inter hos locos intercedere puto, quoniam infinitivus, qui dependet de adiectivis, haud alienus est a sermone, qui tum erant, poetarum. Haec sunt, quae ex opere Goebelii promere mihi proposui. Perpauca quidem sunt, quae manent e numero exemplorum ab illo collatorum. Sed fortasse recte coniecto ipsius Goebelii, cum Lucani versus afferebat, haud semper fuisse sententiam Tacitum scientem insistere vestigiis poetae. Sed quoniam sibi proposuerat scribere de poetico Tacitei stili colore, e Lucani quoque carmine deprompsit exempla, quae quidem putaret esse idonea ad illustrandum Taciti stilum poeticum.

Tum adeo nemo opere eius incitabatur, ut diligentius tractaret rem, ut potius Woelfflin nihil effecisse in hac re Goebelium iudicaret (cf. supra p. 34), cum nuperrime Reitzenstein collegit nonnulla nova exempla, quibus demonstraret viam ad redintegrandam quaestionem[2]). Quae

1) Quamquam concedo „parcus“ cum genetivo coniunctum haud facile sic explicari, cum participia verborum intransitivorum raro inveniantur apud auctores huius aetatis, cf. Draeger l. l. p. 483. Ceterum cum Heraeo admoneo Sallusti loci Cat. 5, 4 „alienae appetens, sui profusus“, qui locus Tacito fuit exemplari.

2) l. l. passim. Sed imprimis respice, quod dicit in universum Reitzenstein de Lucano Taciti auctore (p. 204 adn. 1): „Daß er (scil. auctor dialogi) Lukan hinzufügt (ad Vergilium et Horatium) ist sehr wichtig, da dieser stärkste der Epigonen nach seiner persönlichen Stellung und seinem rhetorischen Charakter eng zu Seneca gehört und

„sponte“ cum genetivo coniunxisse Tacitum[1]) auctore Lucano post Goebelium contenderunt alii. Idem tamen occurrere apud Varronem Pliniumque maiorem adnotavit Furneaux.

Cum Hist. V. 14 „nandi pavidus“ comparat Goebel (et postea Heraeus) Luc. VIII 811 „pavidos Cilicas maris“, praeterea Ann. IV 38 „offensionum pavidus“. Praeterquam quod huiusmodi adiectiva cum genetivo coniuncta apud Tacitum exemplo poetarum sermonis haud raro occurrunt, invenimus praeterea apud Senecam, Herc. Fur. v. 293

oblitos sui
lucisque pavidos ante te populos age,
pavidum leti genus humanum
cogis longam discere noctem,

qui usus inde fortasse potest explicari, quod adiectiva supposita paulatim participibus usum genitivi ab illis accipiebant. E „pavens lucis“ vel similibus fit „pavidus lucis“[2]). Quare Tacitum in hac re sequi Lucanum nullo exemplo confirmatur, haud magis quam proximo loco. Adiectivum „parcus“ semel atque iterum apud Tacitum coniungitur cum genetivo[3]); huic usui respondet Lucani IX 590 „somni parcissimus ipse est“. Sed iam Horatius dixit (Sat. 2, 2, 62) „veteris non parcus aceti“, (2, 5, 79) „donandi parca iuventus“. Kühner (II 1. p. 442) habet vocem „parcus“ in numero adiectivorum „copiae et inopiae“, unde expli-

---

1) Exempli gratia affero Hist. III 16: „nec sponte Antonii properatum (erat)“, Hist. IV 19: „unde suspicio sponte legatorum excitari bellum“.

2) Qua ratione non omnia adiectiva cum genetivo coniuncta posse explicari bene mihi conscia sum. Alia argumenta, ut analogiam, exemplum Graecorum poetarum, inveni apud Kühner, Lat. Gramm. II 1² p. 443. Imprimis respicienda sunt, quae scripsit de hac re Woelfflin, Arch. f. lat. Lex. 13, 407 sqq., tum Draeger, Hist. Syntax I 474 ff.

3) Hist. III 75 „civium sanguinis parcus“, I 49 „Galba pecuniae alienae non appetens, suae parcus, publicae avarus“.

catur sine dubio genetivus. Sed bene adverte locum supra allatum, Hist. I 49 dico, ubi „parcus“ cum genetivo coniunctum respondet participio „appetens“ cum eodem casu coniuncto, quo confirmetur sententia mea supra prolata [1]). Denique illi „parcus suae“ respondet in extrema sententia „publicae avarus“, cui haud minor est audacia. Uno tantum addito loco finem huic imponam parti. Hist. IV 39 „ne paratis quidem corrumpi facilis“ simile quidem est Lucani II 656 „capi facilis“, neque tamen ullam rationem inter hos locos intercedere puto, quoniam infinitivus, qui dependet de adiectivis, haud alienus est a sermone, qui tum erant, poetarum. Haec sunt, quae ex opere Goebelii promere mihi proposui. Perpauca quidem sunt, quae manent e numero exemplorum ab illo collatorum. Sed fortasse recte coniecto ipsius Goebelii, cum Lucani versus afferebat, haud semper fuisse sententiam Tacitum scientem insistere vestigiis poetae. Sed quoniam sibi proposuerat scribere de poetico Tacitei stili colore, e Lucani quoque carmine deprompsit exempla, quae quidem putaret esse idonea ad illustrandum Taciti stilum poeticum.

Tum adeo nemo opere eius incitabatur, ut diligentius tractaret rem, ut potius Woelfflin nihil effecisse in hac re Goebelium iudicaret (cf. supra p. 34), cum nuperrime Reitzenstein collegit nonnulla nova exempla, quibus demonstraret viam ad redintegrandam quaestionem [2]). Quae

1) Quamquam concedo „parcus“ cum genetivo coniunctum haud facile sic explicari, cum participia verborum intransitivorum raro inveniantur apud auctores huius aetatis, cf. Draeger l. l. p. 483. Ceterum cum Heraeo admoneo Sallusti loci Cat. 5, 4 „alienae appetens, sui profusus“, qui locus Tacito fuit exemplari.

2) l. l. passim. Sed imprimis respice, quod dicit in universum Reitzenstein de Lucano Taciti auctore (p. 204 adn. 1): „Daß er (scil. auctor dialogi) Lukan hinzufügt (ad Vergilium et Horatium) ist sehr wichtig, da dieser stärkste der Epigonen nach seiner persönlichen Stellung und seinem rhetorischen Charakter eng zu Seneca gehört und

cum fuerit mihi causa huius opusculi suscipiendi, liceat ad exhauriendam totam materiam omnes proferre locos ab illo collectos, ut diiudicemus ipsi, utrum sint recipiendi in numerum certorum exemplorum vel probabilium necne. Sententiam illorum, qui censent Taciti Hist. I 3 „nec enim unquam atrocioribus populi Romani cladibus magisve iustis indiciis adprobatum est non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem", respicere Lucani IV 807 sqq.

felix Roma quidem civisque habitura beatos,
si libertatis superis tam cura placeret,
quam vindicta placet

iam ipse reiecit Reitzenstein[1]), praeierat Franciscus Ruehl qui ostenderat[2]) Plinium (Paneg. 35) similem atque Lucanum prolocutum esse sententiam: „Ingenti quidem animo divus Titus securitati nostrae ultionique prospexerat ideoque numinibus aequatus est". Si quaerimus, quae ratio intercedat inter tres auctores similes sententias emittentes, haec invenimus: Ex ipsis Taciti verbis apparet eum placitum sectae alicuius proferre, quae deos etsi mundum gubernarent haud ita anxie felicitati hominum prospicere docebat. Quod Stoicos fecisse nemo nescit, qui legit apud Senecam aut Philonem, quomodo Epicuri quaestionem cur bonis viris mala accidant, solverint: cordi est vir bonus deo, sed illa quae mala videntur, non sunt mala, neque secunda semper nos uti fortuna vult deus. Relinquebatur iam ut non in praemiis piorum, sed in poenis impiorum hominum providentia dei agnosceretur. Hanc sententiam Tacitus profert verborum lusu ornatam[3]); Plinius quod

von den strengen Klassizisten ebensowenig wie von ihren Nachfolgern, den Archaisten, anerkannt zu sein scheint. Aber auch Quintilian empfiehlt ihn den Rednern als Muster (X 1. 90, cf. supra p. 3 adn. 1).

1) p. 204 adn. 1.

2) Rh. Mus. 62, 310 sqq.

3) Nam ludere eum in vocibus curae et securitatis inter se coniunctis bene animadvertisse videtur Pohlenz.

de deo dictum erat transfert ad imperatorem, ita ut eum cum deo comparet, Taciti fortasse memor; neque enim Tacitus ex Plinio pendere potest. Sed ipsam sententiam esse vetustiorem demonstrat Lucanus, qui quod in universum dictum erat de deorum cura transtulit ad libertatem.

Sed iam ad certa vel quidem verisimilia transgrediar exempla. Initium capio ab ea Lucani carminis parte, quam plurimum imitatum esse Tacitum nemo non consentiet, ab oratione dico Caesaris, quam habuit apud milites ante pugnam ad Pharsalum factam. Prima orationis verba sunt haec: (I 299 sqq.)

bellorum o socii, qui mille pericula Martis
mecum, ait, experti decimo iam vincitis anno,

ubi quasi arrogantia quadam illud „vincitis" enuntiatur pro simpliciore verbo „bellatis", „bellum geritis": „Me duce omne bellum erat victoria". Cum his confert verbis Reitzenstein[1]) exordium orationis Agricolae (cap. 33): „Septimus annus est, commilitones, ex quo vestra virtute[2]) et auspiciis imperii Romani, fide atque opera nostra Britanniam vicistis", ubi mutandum esse illud „vicistis" in „vincitis" et ipsa nego[3]). Nec minus, cum respicimus Livianum locum, IX 3. 2 dico, ubi milites Romani contra Samnites bellantes sic fremunt: „Per obices viarum, per adversa montium, per silvas, qua ferri arma poterunt, eamus, modo ad hostem pervenire liceat, quem per annos iam prope triginta vincimus", confitendum nobis est hanc

1) II p. 266 adn. 1 et 2 cf. Andresen Tacitus u. Livius II.

2) Virtute et auspiciis codd.; vestra virtute coni. Reitzenstein (virtute vestra ausp. Nipperdey, Halm.).

3) Quo modo ex illo Agricolae loco exortum esset Germ. 37 „ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur: tam diu Germania vincitur" ipse Reitzenstein docuit p. 266 sq. Consulto hic praesens tempus adhibetur, cum re vera Germania nondum sit victa. Agricolae magis quam Lucani locus ante oculos ei versatus est, cum hanc sententiam scriberet.

sententiam esse simillimam earum, quas modo e Tacito et Lucano attulimus. Tamen et ipsa cum nexus sententiarum sit similior inter Tacitum et Lucanum, cum uterque ultro orationem his isdem fere verbis exordiatur, denique cum plura eiusdem orationis dicta imitetur Tacitus, hunc secutum esse Lucanum cum Reitzensteinio censeo, Lucani vero fontem haud dubie esse Livium.

Tum non nego ex eiusdem orationis v. 343

conferet exsanguis quo se post bella senectus?

sumpsisse Tacitum Germ. 31 „donec exsanguis senectus tam durae virtuti impares faciat“, quos ad locos conferri velim praeterea Stat. Theb. XII 706

exsanguis et aegra iuventus
iam nec coniugibus suprema nec oscula natis
iungit,

ubi illud „exsanguis iuventus“ atrocius est fictum secundum Lucani „exsanguis senectus“.

Paulo diligentius de proximis mihi est tractandum exemplis. De initio belli civilis sic loquitur Caesar (I 311 sqq.)

veniat longa dux pace solutus[1])
milite cum subito partesque in bella togatae
Marcellusque loquax, et, nomina vana, Catones.

Recte, sine dubio, confertur „milite cum subito“ cum Taciti Hist. IV 76 „nec subitum militem, sed veterem expertumque bello (adventare)“, ubi Heraeus et Haskins explicant „subitus“ idem esse ac „tumultuarius“, quo verbo alibi utitur Tacitus (Hist. IV 20, 7; 66, 5); quae

1) An recte cum verbis „veniat longa dux pace solutus“ comparaverit Reitzenstein Ann. XIII 35 „legiones longa pace segnes“ valde dubito, cum talis sententia varie enuntiata praeterquam quod ne hic quidem verba nimis consentiunt, compluribus existat Taciti locis, cf. Agr. 11 „plus tamen ferociae Britanni proferunt, ut quos nondum longa pax emollierit“, Germ. 14 „civitas torpet longa pace et otio“, alibi similiter.

explicatio affirmatur illo „veterem expertumque bello", quod opponitur illi „milite cum subito" [1]. Sed gravissimum est illud „nomina vana, Catones", quod exemplar fuit Hist. IV 75 „Muciani ac Domitiani vana et sine viribus nomina"; quos profecto inter locos tanta exstat similitudo, ut non facile quisquam neget Tacitum alludere ad Lucani versum [2].

1) Cf. Adnotationes super Lucanum (ed. Ioannes Endt Lips. 1909) ad versum allatum: „milite cum subito: id est tirone, ut hic novitate pugnare non possit".

2) Neque tamen non mutatum transtulit Tacitus hoc dictum. Nam apud eum verba „Muciani" et „Domitiani" sunt genetivi, cum contra apud Lucanum „Catones" esse legendum censeam. Quod in plurimis est traditum codicibus, nisi quod G et corrector Parisini Z (z apud Hosium) scripsit „Catonis", E m g (scil. correctores codicum M et G) „Catonum". Huc accedunt Commentum Lucani, quod tradit „Catonis", et Hieronym. Ep. 58, 7. 2, qui ex Persio (sat. III 30) et hoc loco sibi fingit sententiam: noli aspicere „ad phaleras et nomina vana Catonum. ego te, inquit, intus et in cute novi".

„Catonis" errore scribae primum fortasse scriptum pro „Catones" nihil aliud nisi nominativum pluralis significabat. Tum proximus scriba, qui id genetivum singularis esse putabat, mutavit in „Catonum", ut verbum accommodaret plurali „nomina vana". „Catones" esse legendum confirmat exemplis ex ipso Lucano collatis Weber, scil. VI 795

vidi ego laetantis, popularia nomina, Drusos,

VII 121 Pompeius erit miserabile nomen,

e Silii Italici VIII 253 sacrataque nomina Marti Scipiadas.

Sed restat, ut aliud hic quoque disseram. Respice Sili Italici, quem Punicorum, quae vocantur, auctorem semel atque iterum secutum esse Tacitum supra docui, versum X 582

nec enim superesse iuventam
ac stare Ausoniae vacuum sine corpore nomen,

quocum versu sepulcri imaginem revocante „sine corpore nomen" comparari possit Laberii locus (Prol. 27) aut Propertii II 1. 72. Taciti „sine viribus nomen" simillimum est Sili „sine corpore nomen" in fine versus heroici positi, ut optimo iure cogitari possit, hoc quoque loco duorum auctorum sententias ante oculos ei esse versatos. Sed huc accedit aliud: Hist. I 30 in optimo Taciti codice traditur: „Si res publica et senatus et populus vacua nomina sunt, vestra, commi-

Haud satis certum est verba Hist. I 68 „Raetorum iuventus, sueta armis et more militiae exercita“ referenda esse ad Lucani v. 325 „suetus civilibus armis (Pompeius)“ afferenda tamen ea esse putavi, cum in eadem Caesaris oratione sint collocata, quod auget verisimilitudinem. Neque certiora sunt Luc. v. 339 „victrices aquilas deponere iussus“ collata cum Tac. Hist. III 50 „signa aquilaeque victricium legionum“, quoniam, quamvis concedam insolite coniuncta esse verba Lucani [1]), nihil tamen novi video Taciti sententiae insertum. „Signa aquilaeque“ enim sic coniuncta saepius inveniuntur (Hist. II 29; III 21 alibi), ad „victricium legionum“ cf. Hist. II 75 „suas legiones civili bello inexpertas, Vitelli victrices“, III 63 „relictae simul e victricibus legiones“ (cf. praeterea Hist. IV 68). Hactenus, quod de Caesaris oratione erat referendum.

Contra proximus locus dubitationem habere mihi non videtur. Describitur Hist. II 24, quomodo acies Othonia-

---

litones, interest, ne imperatorem pessimi faciant“, ubi deteriores codices tradunt „vana nomina“. Equidem collato Sili loco meliorem traditionem secuta praefero „vacua nomina“, ubi primum „vacuum“ ponitur pro solito adiectivo „inane“, quod iam inde a Cicerone est in usu (cf. Cic. Verr. I 15 „proponit inania mihi nobilitatis ... nomina“, leg. agr. I 19 „neque aliud quicquam nisi inane nomen Capuae reliquerunt“. Tusc. I 21 „nihil esse omnino animum, et hoc esse nomen totum inane“. Hor. Ep. I 17. 4 „virtus nomen inane“, Luc. V 389 „nomen inane imperii“, ipsius Taciti Hist. II 39, IV. 14.

1) „Victrices aquilas“ iterum occurrit apud Lucanum V 238: „victrices aquilas alium laturus in orbem (Caesar)“.

2) Praeterea versus qui praecedunt orationi, v. 291 sqq.

sic postquam fatus, et ipsi
in bellum prono tantum tamen addidit irae
accenditque ducem ...

confert Reitzenstein cum Taciti verbis Agricolae orationem antecedentibus: „Quamquam laetum et vix munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit“ ... Re vera similes esse sententias concedo: verbo accendendi ipsi nihil inest insoliti.

norum apud Cremonam sit instructa: „Tertiae decumae legionis vexillum, quattuor auxiliorum cohortes et quingenti equites in sinistro locantur; aggerem viae tres praetoriae cohortes altis ordinibus obtinuere; dextra fronte prima legio incessit cum duabus auxiliaribus cohortibus, et quingentis equitibus .....“ Nemo, quamvis leviter attingat locum, non videbit „dextra fronte“ hic idem esse ac „dextro latere“, „dextro cornu“. Quam interpretationem verbi frontis exemplo ex ipso Lucano allato possumus confirmare. VII 217 sqq. instrui videmus aciem, qua ultimam commissurus erat pugnam Pompeius:

cornus tibi cura sinistri,
Lentule, cum prima, quae tum fuit optima bello,
et quarta legione datur; tibi numine pugnax
adverso Domiti, d e x t r i f r o n s t r a d i t a M a r t i s.
at medii robur belli fortissima densant
agmina .....

Et apud Tacitum „dextri frons Martis“ cornu sinistro opponitur, ut facile intellegas frontem hic idem significare quod cornu. Qua propter haud prave conicimus Tacitum hunc usum verbi frontis sumpsisse a Lucano, quae fulcitur opinio ea re, quod saepius hausit Tacitus e thesauro libri septimi, quo narratur pugna ad Pharsalum facta. Sic interdum, quod contendit Reitzenstein, Lucanus bene valet ad interpretandum Tacitum [1]).

1) Eandem sententiam nuper prolocutus est Andresen de Tacito et Livio (l. l.). Hic etiam conferas velim, quod de eadem re iam dudum scripsit Norden, Antike Kunstprosa I p. 331 adn. 4: „Bei augusteischen Dichtern läßt sich gelegentlich eine ἀπορία aus Tacitus lösen und umgekehrt. Verg. Aen. VI 302 ipse (Charon) ratem conto subigit velisque ministrat: schon Servius zweifelt, ob velis Dativ oder Ablativ sei, also ob „er bedient die Segel“ oder „er bedient das Schiff mit den Segeln“.. Alles spricht für den Ablativ, zunächst die Konzinnität des Ausdrucks, die Vergil nachweislich sehr liebt, sodann die Nachahmung sowohl des Val. Flacc. III 38 „ipse ratem vento stellisque ministrat“ als auch besonders die des Tacitus Germ. 44 „naves velis

Haud satis certum est verba Hist. I 68 „Raetorum iuventus, sueta armis et more militiae exercita“ referenda esse ad Lucani v. 325 „suetus civilibus armis (Pompeius)“ afferenda tamen ea esse putavi, cum in eadem Caesaris oratione sint collocata, quod auget verisimilitudinem. Neque certiora sunt Luc. v. 339 „victrices aquilas deponere iussus“ collata cum Tac. Hist. III 50 „signa aquilaeque victricium legionum“, quoniam, quamvis concedam insolite coniuncta esse verba Lucani[1]), nihil tamen novi video Taciti sententiae insertum. „Signa aquilaeque“ enim sic coniuncta saepius inveniuntur (Hist. II 29; III 21 alibi), ad „victricium legionum“ cf. Hist. II 75 „suas legiones civili bello inexpertas, Vitelli victrices“, III 63 „relictae simul e victricibus legiones“ (cf. praeterea Hist. IV 68). Hactenus, quod de Caesaris oratione erat referendum.

Contra proximus locus dubitationem habere mihi non videtur. Describitur Hist. II 24, quomodo acies Othonia-

---

litones, interest, ne imperatorem pessimi faciant“, ubi deteriores codices tradunt „vana nomina“. Equidem collato Sili loco meliorem traditionem secuta praefero „vacua nomina“, ubi primum „vacuum“ ponitur pro solito adiectivo „inane“, quod iam inde a Cicerone est in usu (cf. Cic. Verr. I 15 „proponit inania mihi nobilitatis ... nomina“, leg. agr. I 19 „neque aliud quicquam nisi inane nomen Capuae reliquerunt“. Tusc. I 21 „nihil esse omnino animum, et hoc esse nomen totum inane“. Hor. Ep. I 17. 4 „virtus nomen inane“, Luc. V 389 „nomen inane imperii“, ipsius Taciti Hist. II 39, IV. 14.

1) „Victrices aquilas“ iterum occurrit apud Lucanum V 238: „victrices aquilas alium laturus in orbem (Caesar)“.

2) Praeterea versus qui praecedunt orationi, v. 291 sqq.

sic postquam fatus, et ipsi
in bellum prono tantum tamen addidit irae
accenditque ducem ...

confert Reitzenstein cum Taciti verbis Agricolae orationem antecedentibus: „Quamquam laetum et vix munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit“ ... Re vera similes esse sententias concedo: verbo accendendi ipsi nihil inest insoliti.

norum apud Cremonam sit instructa: „Tertiae decumae legionis vexillum, quattuor auxiliorum cohortes et quingenti equites in sinistro locantur; aggerem viae tres praetoriae cohortes altis ordinibus obtinuere; dextra fronte prima legio incessit cum duabus auxiliaribus cohortibus, et quingentis equitibus ....." Nemo, quamvis leviter attingat locum, non videbit „dextra fronte" hic idem esse ac „dextro latere", „dextro cornu". Quam interpretationem verbi frontis exemplo ex ipso Lucano allato possumus confirmare. VII 217 sqq. instrui videmus aciem, qua ultimam commissurus erat pugnam Pompeius:

cornus tibi cura sinistri,
Lentule, cum prima, quae tum fuit optima bello,
et quarta legione datur; tibi numine pugnax
adverso Domiti, d e x t r i f r o n s t r a d i t a M a r t i s.
at medii robur belli fortissima densant
agmina .....

Et apud Tacitum „dextri frons Martis" cornu sinistro opponitur, ut facile intellegas frontem hic idem significare quod cornu. Qua propter haud prave conicimus Tacitum hunc usum verbi frontis sumpsisse a Lucano, quae fulcitur opinio ea re, quod saepius hausit Tacitus e thesauro libri septimi, quo narratur pugna ad Pharsalum facta. Sic interdum, quod contendit Reitzenstein, Lucanus bene valet ad interpretandum Tacitum[1]).

1) Eandem sententiam nuper prolocutus est Andresen de Tacito et Livio (l. l.). Hic etiam conferas velim, quod de eadem re iam dudum scripsit Norden, Antike Kunstprosa I p. 331 adn. 4: „Bei augusteischen Dichtern läßt sich gelegentlich eine ἀπορία aus Tacitus lösen und umgekehrt. Verg. Aen. VI 302 ipse (Charon) ratem conto subigit velisque ministrat: schon Servius zweifelt, ob velis Dativ oder Ablativ sei, also ob „er bedient die Segel" oder „er bedient das Schiff mit den Segeln".. Alles spricht für den Ablativ, zunächst die Konzinnität des Ausdrucks, die Vergil nachweislich sehr liebt, sodann die Nachahmung sowohl des Val. Flacc. III 38 „ipse ratem vento stellisque ministrat" als auch besonders die des Tacitus Germ. 44 „naves velis

Alio imitandi genere usus immutat Tacitus, quod iam prima opusculi parte docuimus, significationem verbi ab alio sumpti auctore. Dicit Lucanus de Pompeio Magno fugiente ex proelio ad Pharsalum facto: (VIII 3)

cornipedem exhaustum cursu stimulisque negantem
Magnus agens incerta fugae vestigia turbat,

quae ultima verba bene Haskins sic explicat: „Confounds his footsteps so that they may not be recognised"; προληπτικῶς igitur, ut ita dicam, verbum ponit „incerta" Lucanus. Eadem verba aliter adhibet Tacitus Agr. 38 „quibus (exploratoribus) in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia neque usquam conglobari hostes compertum, et exacta iam aestate spargi bellum [1] nequibat in finis Borestorum exercitum deducit".

In proximo exemplo equidem haereo. Luc. I 356 laudatur Laelius quidam:

summi tum munere pili
Laelius emeritique gerens insignia doni
servati civis referentem praemia quercum,

ministrantur". — Tac. Germ. 18 „dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. Intersunt parentes et propinqui ac munera probant, munera non ad delicias muliebres quaesita, sed etc.; das von den meisten getilgte zweite munera hat hier E. Baehrens richtig verteidigt durch Prop. I 3. 25 „omniaque ingrato largibar munera somno, munera ac prono saepe voluta sinu"; wer die augusteischen Dichter kennt, weiß, daß sie sich (in Nachahmung der Alexandriner) dieses Mittels zur Hebung des ἦθος oft bedient haben". Ad haec confer etiam Heinze, ad Lucr. III 12: (omnia nos itidem depascimur aurea dicta, aurea, perpetua semper dignissima vita) L .... wiederholt in homerischer Weise (Αἰθίοπας — Αἰθίοπας τοὶ δίχθα δεδαίαται) dies aurea ..." (Homero addo ipsa Pindarum, Pyth. II 49/50:

θεὸς ἅπαν ἐπὶ ἐλπίδεσσι τέκμαρ ἀνύεται
θεός, ὃ καὶ πτερόεντ' αἰετὸν κίχε.)

1) „Spargi bellum" fortasse sumptum esse e Lucano infra demonstrabo. Alias quoque sententias ab aliis sumptas capite eodem contineri supra (p. 14 et 24 adn. 1) demonstravi.

meruit igitur coronam civicam. Insolite „referens" esse dictum pro „testificans" adnotat Haskins, allato Vergili Aen. V 564

una acies iuvenum, ducit quam parvus ovantem
nomen avi referens Priamus.

Quodsi Tacitus Ann. III 21 narrat: „Quo proelio Rufus Helvius gregarius miles servati civis decus rettulit donatusque est ab Apronio torquibus et hasta", „decus" hoc loco idem esse ac „gloriam" concedo[1]), cum dona militaria longe sint alia quam quibus ornatur Rufus Helvius. Neque tamen video, quomodo formaverit Tacitus sua verba secundum Lucani versum, cum verbum referendi, quod fere solum ei est commune cum Lucano, adhiberet sensu haud ita raro, sed proprio (= davontragen).

De ultimo huius partis exemplo copiosius disseram. Germ. 33 precatur deos Tacitus, ut maneat barbaris discordia imperio Romano opportuna: „Maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest quam hostium discordiam". Audiamus ipsius verbis, quid de hoc dicto sentiat Reitzenstein: „Das Vorbild hat Schweizer-Sidler durchaus richtig, nur zu knapp bezeichnet. Von Alexander heißt es bei Lucan: (X 28 ff.)

Macetum fines latebrasque suorum
deseruit victasque patri despexit Athenas
perque Asiae populos fatis urgentibus actus

---

1) Cf. praeterea Ann. XII 31 „atque illi ... multa et clara facinora fecere, qua pugna filius legati M. Ostorius servati civis decus meruit". Ann. XV 12 „si singulis manipularibus praecipua servati civis corona imperatoria manu tribueretur, quod illum et quantum decus". „Ob servatos civis" innumerabiliter legi inscriptum in nummis et lucernis, paene supervacaneum fuit referre (cf. Hey, Arch. f. lat. Lex. 11, 270. C. I. L. X 8053, 1 al).

humana cum strage ruit gladiumque per omnis
exegit gentes ....
terrarum fatale malum fulmenque, quod omnis
percuteret pariter populos et sidus iniquum
gentibus.

Es ist klar, daß für Lukan die fata urgentia das Geschick nicht Alexanders, sondern Asiens oder des Erdballs bedeuten, wenn auch daneben erwähnt wird (v. 21), daß dasselbe terrarum fatum auch den Alexander rächend dahinrafft. Tacitus braucht durchaus nicht darauf Rücksicht zu nehmen, wenn ihm das fatum, das dem Alexander die Herrschaft des Erdballs bestimmt, mit dem fatum vergleichbar erscheint, das dem römischen Volk gegeben ist. In der Form wie im Satzbau weicht er allerdings leicht ab; über die Germanen will das fatum hereinbrechen, aber es ist ein fatum, das eigentlich nicht ihnen, sondern dem imperium Romanum gegeben ist und die Römer vorwärts treibt; gerade jetzt, wo es hereinbricht, ist die Zwietracht unter ihnen für diese besonders wertvoll". Dissentit Reitzenstein hac eius loci interpretatione a communi virorum doctorum opinione, quippe qui adhuc censuerint Livium exemplar fuisse Taciti (V 22. 8 [de Veiorum occasu]: „postremo iam fato quoque urgente operibus tamen, non vi expugnata est urbs Veiorum", XXII 43. 9 „[Romani] ex maioris partis sententia ad nobilitandas clade Romana Cannas urgente fato profecti sunt", V 36, 6 [ante Gallos Romam invasuros]: „ibi iam urgentibus Romanam urbem fatis legati contra ius gentium arma capiunt"). In quorum sententiam pedibus it, Reitzensteinii interpretationem reicit Andresen [1]) his argumentis usus: Si, ut Reitzenstein putet, hoc libro conscribendo cum alia tum hoc egisset Tacitus, ut ad bellum contra Germanos excitaret Romanos, hoc, quod velit Reitzenstein, non apparere ex capite libri 37, quo enu-

1) Wochenschr. f. kl. Phil. 1915, 32. sp. 755.

meretur, quot clades populus Romanus iam acceperit a Germanis. Non esse idoneas has clades ad accendendos Romanorum animos. Tum deesse apud Tacitum verbum, quod respondeat Lucani „actus", unde sequi, ut duplice munere fungatur verbum „urgentibus", uno, quo exprimatur fata urgere Germanos, altero, quod exprimit verbum „actus" apud Lucanum. „Das macht die Parallele zwischen Lukan und Tacitus so kompliziert, daß es doch wohl geratener ist, von ihr abzusehen und das Vorbild der Taciteischen Wendung in den drei längst herangezogenen Liviusstellen zu suchen, wo wir urgente fato oder urgentibus fatis lesen", quos locos modo rettulimus. Quare „urgentibus imperii fatis" idem esse atque „urgentibus imperium fatis", referendum igitur esse fatum ad imperium Romanum: „überall bei Tacitus und Vergil, wo wir fatum oder fata mit einem Genitiv verbunden finden, bezeichnet dieser Kasus, wenn man von Wendungen wie fata deum, fata Iovis absieht, diejenige Person, die das Schicksal trifft". Ad alterum, quod profert Andresen, argumentum hoc addam, Taciteae brevitati haud alienum futurum fuisse, si omisisset verbum „actus" etiamsi alioquin respexisset Lucanum. Sed in universum ipsa sic de hoc et similibus locis iudico: Videmus dictum haud commune a Vergilio inventum transferri ad eos, qui sequuntur, auctores, cf. Verg. Aen. II 653 (agitur de Aenea domo profugo, quem moratur Anchises pater; is enim negat se domicilio suo esse excessurum):

nos contra effusi lacrimis coniunxque Creusa
Ascaniusque omnis domus, ne vertere secum
cuncta pater f a t o q u e u r g u e n t i incumbere vellet[1]),

quem ultimum versum sic explicat Forbiger: ultro operam dare, ut magis etiam urgeat, ideoque instantem per-

1) Cf. Verg. Aen. X 624 tolle fuga Turnum atque instantibus eripe fatis,
XI 587 fatis urgetur acerbis.

humana cum strage ruit gladiumque per omnis
exegit gentes ....
terrarum fatale malum fulmenque, quod omnis
percuteret pariter populos et sidus iniquum
gentibus.

Es ist klar, daß für Lukan die fata urgentia das Geschick nicht Alexanders, sondern Asiens oder des Erdballs bedeuten, wenn auch daneben erwähnt wird (v. 21), daß dasselbe terrarum fatum auch den Alexander rächend dahinrafft. Tacitus braucht durchaus nicht darauf Rücksicht zu nehmen, wenn ihm das fatum, das dem Alexander die Herrschaft des Erdballs bestimmt, mit dem fatum vergleichbar erscheint, das dem römischen Volk gegeben ist. In der Form wie im Satzbau weicht er allerdings leicht ab; über die Germanen will das fatum hereinbrechen, aber es ist ein fatum, das eigentlich nicht ihnen, sondern dem imperium Romanum gegeben ist und die Römer vorwärts treibt; gerade jetzt, wo es hereinbricht, ist die Zwietracht unter ihnen für diese besonders wertvoll". Dissentit Reitzenstein hac eius loci interpretatione a communi virorum doctorum opinione, quippe qui adhuc censuerint Livium exemplar fuisse Taciti (V 22. 8 [de Veiorum occasu]: „postremo iam fato quoque urgente operibus tamen, non vi expugnata est urbs Veiorum", XXII 43. 9 „[Romani] ex maioris partis sententia ad nobilitandas clade Romana Cannas urgente fato profecti sunt", V 36, 6 [ante Gallos Romam invasuros]: „ibi iam urgentibus Romanam urbem fatis legati contra ius gentium arma capiunt"). In quorum sententiam pedibus it, Reitzensteinii interpretationem reicit Andresen [1]) his argumentis usus: Si, ut Reitzenstein putet, hoc libro conscribendo cum alia tum hoc egisset Tacitus, ut ad bellum contra Germanos excitaret Romanos, hoc, quod velit Reitzenstein, non apparere ex capite libri 37, quo enu-

1) Wochenschr. f. kl. Phil. 1915, 32. sp. 755.

meretur, quot clades populus Romanus iam acceperit a Germanis. Non esse idoneas has clades ad accendendos Romanorum animos. Tum deesse apud Tacitum verbum, quod respondeat Lucani „actus“, unde sequi, ut duplice munere fungatur verbum „urgentibus“, uno, quo exprimatur fata urgere Germanos, altero, quod exprimit verbum „actus“ apud Lucanum. „Das macht die Parallele zwischen Lukan und Tacitus so kompliziert, daß es doch wohl geratener ist, von ihr abzusehen und das Vorbild der Taciteischen Wendung in den drei längst herangezogenen Liviusstellen zu suchen, wo wir urgente fato oder urgentibus fatis lesen“, quos locos modo rettulimus. Quare „urgentibus imperii fatis“ idem esse atque „urgentibus imperium fatis“, referendum igitur esse fatum ad imperium Romanum: „überall bei Tacitus und Vergil, wo wir fatum oder fata mit einem Genitiv verbunden finden, bezeichnet dieser Kasus, wenn man von Wendungen wie fata deum, fata Iovis absieht, diejenige Person, die das Schicksal trifft“. Ad alterum, quod profert Andresen, argumentum hoc addam, Taciteae brevitati haud alienum futurum fuisse, si omisisset verbum „actus“ etiamsi alioquin respexisset Lucanum. Sed in universum ipsa sic de hoc et similibus locis iudico: Videmus dictum haud commune a Vergilio inventum transferri ad eos, qui sequuntur, auctores, cf. Verg. Aen. II 653 (agitur de Aenea domo profugo, quem moratur Anchises pater; is enim negat se domicilio suo esse excessurum):

nos contra effusi lacrimis coniunxque Creusa
Ascaniusque omnis domus, ne vertere secum
cuncta pater fatoque urguenti incumbere vellet[1]),

quem ultimum versum sic explicat Forbiger: ultro operam dare, ut magis etiam urgeat, ideoque instantem per-

1) Cf. Verg. Aen. X 624 tolle fuga Turnum atque instantibus eripe fatis,
XI 587 fatis urgetur acerbis.

niciem accelerare" [1]. Illis, quae supra attulimus, exemplis accedit Val. Fl. IV 252 „urgentis per sera piacula fati nescius". Proxime profecto accedunt Taciti verba ad Liviana, neque tamen nos certe posse rem diiudicare, sed in iis potius locis hunc habendum esse contendo, quos infra tractabo, eos dico, ubi inter complures auctores haud facile diiudicatur cui Taciti locus sit addicendus. Sed iam transgredior ad ea quae ipsa collegi exempla.

Mediam in pugnam ad Pharsalum factam ducimur inde a versu 545 libri septimi Pharsaliorum carminis. Iam res venerat ad robora Pompei et media agmina. Una ex parte fratres, patres, propinqui adversi constiterant, (v. 557 sqq.)

hic Caesar, rabies populi stimulusque furorum
ne qua parte sui pereat scelus, agmina circum
it vagus atque ignes animis flagrantibus addit.

Non de pugna, sed de atroci Galbae interficiendi scelere agitur apud Tacitum (Hist. I 24): „Flagrantibus iam militum animis velut faces addiderat Maevius Pudens, e proximis Tigellini". Ut perspiciamus insolitum dictionis, haud inepte opponitur Tac. Dial. 40: „Iam vero contiones assiduae et datum ius potentissimum quemque vexandi .... quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant", ubi „faces admovebant" artificiosius fingitur pro „accendebant" [2]. Illis contra Taciti et Lucani locis nova atque inaudita exoritur imago, quasi vero rei iam ardenti vel flagranti admoveatur ultro ignis, quod Lucanus propria voce, Tacitus verbo „faces" exprimit, lenita tamen audacia dictionis addito

2) Cf. Schmaus p. 15.

1) Sic dicit Tac. Agr. 33, quem iam supra commemoravi locum: „Simul instruebatur acies, cum Agricola quamquam laetum et vix munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit . . .", cf. Sall. Cat. 59 „militum animos accendebat". Cum „faces admovebant" Heraeus confert Liv. 32, 38. 9 „duas faces novantibus res ad plebem in optimates accendendam".

verbo „velut". Quod si recte cognovimus, luculentissime apparet hoc Latine expressum alludere ad Graecum proverbium πῦρ ἐπὶ πῦρ [1]), quod in linguam Latinam versum occurrit apud alios quoque scriptores Latinos. Ex Graecorum numero Otto affert Platonis νόμων II p. 666 sq. ἆρ' οὐ νομοθετήσομεν πρῶτον μὲν τοὺς παῖδας μέχρι ἐτῶν ὀκτωκαίδεκα τὸ παράπαν οἴνου μὴ γεύεσθαι διδάσκοντες ὡς οὐ χρὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν εἴς τε τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν, πρὶν ἐπὶ τοὺς πόνους ἐγχειρεῖν πορεύεσθαι, quem ad locum alludit Zenobius V 69, affert eundem Diogen. VI 71 [2]), cf. etiam Seneca de ira II 20. 2 „Plato ... ignem vetat igne incitari". E Latinorum numero commemoro Ov. am. III 2. 34 „in flammam flammas ... in mare fundis aquas" [3]). Quin Tacitus finxerit suum locum secundum Lucani, non dubito.

Proximum exemplum iam attulerunt Goebel [4]) Orelli Furneaux [5]). Ann. I 65 continetur narratio proelii Romanorum duce Caecina cum Cheruscis facti. Tum „nox per diversa inquies" intervenit ... „ducemque terruit dira quies: nam Quintilium Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire visus est", quibus ultimis verbis optime explanatur quietis vocem hic assumi pro somnii, qua significatione compluribus invenitur verbum apud Tacitum locis, ut Ann. II 14: „Nox eadem laetam Germanico quietem tulit, viditque se operatum et sanguine sacri respersa praetexta pulchriorem aliam ma-

---

1) cf. Otto, Sprichwörter d. Römer s. v. ignis et Rohde, Griech. Rom.[2] p. 171 Anm. 3.

2) Paroemiographi Graeci (edd. Leutsch et Schneidewin) I; ad Zenobii locum complura collegit similia proverbii exempla Leutsch.

3) Addam Liv. XXI 10. 4 „iuvenem flagrantem cupidine regni velut materiam ignis praebentes ad exercitum misistis", et eiusdem capitis: „hunc iuvenem tamquam furiam facemque huius belli odi ac detestor", quae ad verba apte conferuntur „faces" Taciti et „faces belli" apud Lucanum I 262.

4) l. l. p. 11 sq.

5) ad Ann. I 65.

nibus aviae Augustae accepisse", alibi. Cum illo Taciti loco septimi Lucani libri nonnulli versus sunt conferendi. Primis huius libri versibus comperimus, quid facientes milites Pompei degerint noctem ultimam ante proelium apud Pharsalum factum. Admonet poeta vigiles castrorum, ne rumpant somnos (vv. 25 sqq.)

nullas tuba verberet aures.
crastina dira quies et imagine maesta diurna
undique funestas acies feret, undique bellum,

hoc est, cum primum crastinus advenerit vesper, adeo non quietem ac somnum videbitis, ut dirae imagines, quas interdiu vidistis in proelio versantes, noctu redeant atque vobis obversentur. Lucanus verbum quietis non solum usurpat pro „nox", sed etiam, quod audacius est, pro „somnium"[1]. Iam antea sic erat locutus de Pompei somnio: (v. 21)

per ambages solitas contraria visis
vaticinata quies magni tulit omina planctus.

Adeo similia sunt verba Taciti versui Lucani, ut haud facile quisquam neget illum sectari huius vestigia.

Haud minus certum proximum videtur esse exemplum.

---

1) Si lingua Latina dicitur „somno videre, per somnos, in somnis videre", verbum somni proxime accedit ad nostrum „Traum". Cf. Heinze ad Lucr. III 431 („quod genus in somnis sopiti ubi cernimus alte exalare vaporem altaria ferreque fumum): „In somnis läßt sich bei L. überall „im Traum" übersetzen, und das ist auch sonst die regelmäßige Anwendung". Lucanus communi somni verbo supposuit dictum sermoni poetarum proprium, quietem dico. Ea ipsa re, quod idem verbum scripsit Tacitus, omnem dubitationem tolli puto, quin fuerit Lucanus Taciti exemplar. — Ad Lucani versus cf. praeterea Luc. VII 764, qui sunt versus de militibus Caesaris in castra Pompei ingressis inque cubilibus propinquorum somnum capientibus:

quos agitat vaesana quies somnique furentes,

et III 9 diri tum plena horroris imago
visa caput maestum per hiantes Iulia terras
tollere.

Nemo Romanorum non cognovit Lucani carminis principium, cui insunt haec verba: (I 4 sqq.)

rupto foedere regni
certatum totis concussi viribus orbis
in commune nefas".

Quibus oppono versibus, quae dixit Galba in ea quam, cum adoptaret Pisonem adulescentem. habuit oratione: (Hist. I 16) „Ne tamen territus fueris, si duae legiones in hoc concussi orbis motu nondum quiescunt". Neque enim propria haec sunt verba solutae orationis, nisi forte Cicero loquitur de concussa re publica, sed cum primis in poetarum dictione similem invenimus ὑπερβολήν, quae vocatur, exempli gratia apud Lucr. III 834:

omnia cum belli trepido concussa tumultu
horrida contremuere sub altis aetheris oris [1]).

Alium producam locum, ubi verbum propria significatione haud ita insolitum iunctura novum reddiderunt et Tacitus et Lucanus. Ad Luc. V 44

nostrum exhausto ius clauditur anno

iam Haskins attulit Tac. Hist. IV 29 „sic exhausta nocte novam aciem dies aperuit". Primum non omittam dicere orationi esse inserta verba, Lentuli dico, Pompei amici, ut omnino orationes imprimis Lucani dignabatur Tacitus, e quibus excerperet insolita dicta. Infra quoque videbimus imprimis ipsas Lucani orationes Taciti menti inhae-

1) Cf. Heinze ad Lucr. III 384: „Dem Gegenstand entsprechend erhebt sich hier die Sprache zu epischem Schwung .... Die Verse (oder ihr Vorbild?) haben großen Eindruck gemacht, wie zahlreiche, längst aufgewiesene Nachklänge bei Späteren beweisen. (Cul. 34) Luc. Phars. I 304 „non secus ingenti bellorum Roma tumultu concutitur, quam si Poenus transcenderit Alpes Hannibal". Iterum poetico fere colore loci Tacitei confirmatur coniectura poetam fuisse exemplar. — Similibus verbis eandam fere rem exprimit Tacitus Hist. III 49: „Dum hac totius orbis nutatione fortuna imperii transit, Primus Antonius nequaquam pari innocentia post Cremonam agebat".

sisse, eum ipsa verba ex illius orationibus sumpta suis inseruisse. Sed revertor ad locum nobis propositum. Dicit Lentulus cum fine eius, qui tum erat, anni magistratu se abiturum, officio suo se esse functurum, ut facile intellegatur verbum exhauriendi eodem sensu esse adhibitum ac verbum exigendi, quo omnes utuntur, cum vocabulum exhauriendi tali significatione apud neminem inveniatur nisi apud Tacitum et Lucanum. Weber ad Lucani versum cogit exempla verbi exigendi usus Tac. Hist. I 47 „exacto per scelera die", Verg. Aen. V 46 „annuus exactis completur mensibus orbis",

Hor. carm. III 22. 6 „imminens villae tua pinus esto,
quam per exactos ego laetus annos
... donem",

quibus accedit locis Prop. I 3. 37/8

namque ubi longa meae consumpsti tempora noctis
languidus exactis hei mihi sideribus.

Accedam ad eos, quos mutatos suo operi inseruit Tacitus, locos. Nemo profecto Romanorum, qui quidem aliqua humanitate esset praeditus, non cognoverat descriptionem illam proelii ad Pharsalum facti a Lucano summa verborum copia exornatam. Quod „mille votis" exoptaverat Caesar, ut tandem aliquando hostis in aciem et pugnam se committeret, postremo ei contigit. Neque dimisit pugnandi occasionem: (VII 240 sqq.)

aeger quippe morae flagransque cupidine regni
coeperat exiguo tractu civilia bella
ut lentum damnare nefas.

Tacitus Othonem, cuius exercitus ad Ticinum flumen cum Vitellianis de imperio est dimicaturus, Brixelli exitum pugnae exspectare inducit constituentem. Ipse securus „increpita ducum segnitia rem in discrimen mitti iubebat, aeger mora et spei impatiens" (Hist. II 40). Iam primum vide, quam mire narrationes ipsae congruant: duo imperatores proelium iam diu exspectantes, quos tamen

spes saepe fefellerat, nobis ostenduntur. Non dubitandum esse censeo, quin hoc loco respexerit Tacitus Lucani praeclaram narrationem, etiamsi ille pro genetivo certe insolito posuit ablativum. Apud Lucanum „aeger morae“ is appellatur, quem piget morae, unde sine difficultate explicatur usus genitivi[1]). Illud quoque „aeger mora“, quod fingit Tacitus, nihil aliud exprimere, consulto scriptorem mutavisse Lucanum censeo. Neque omnino quidquam est mutandum, etiamsi facile pro „mora“ in codice Taciti traditum scribi possit „morae“, praesertim cum sequatur „et“. Optime tamen illustratur locus alio Lucani versu, quo summa ac perfecta Taciti scribendi ac fingendi ars bene ostenditur. Libri sexti v. 424 audimus de Sexto, Pompei filio:

impatiensque morae venturisque omnibus aeger
non tripodas Deli, non Pythia consulit antra.

Si contuleris hos duos Lucani locos cum illo Taciteo, videbis utrumque ante oculos versatum esse Tacito. Ex illo sumit „aeger mora“ collato etiam alterius „venturisque omnibus aeger“, illud „impatiensque morae“ commutat in „spei impatiens“ [2]).

1) Ceterum „aeger“ coniunctum cum genetivo hoc sensu raro invenitur apud Latinos. „Aeger animi“ est fictum ut „certus animi“, similiter „consilii aeger“ Sall. Hist. IV 84 (cf. etiam Statii Theb. XI 141, Silii XIII 52 „aeger delicti“ etc. Kuehner, Lat. Gramm. II 1, p. 443).

2) Paucis verbis disseram de versu 241 septimi libri. Weber, Lucani editor et commentator, nominatim collaudat Cortium, qui iam comparaverit Ann. XV 10: „Qua (in frequentia) tamen retineri castra et eludi Parthus tractu belli poterat, si Paeto aut in suis aut in alienis consiliis constantia fuisset“. Debueritne profecto Tacitus verba „tractu belli“ exemplo Lucani, certis quidem argumentis affirmari non potest neque aliud dicere possumus quam similitudinem quandam praestare locos, praesertim cum idem apud utrumque sit sensus verbi tractus. Recte enim Haskins locum Lucani interpretatur „though not greatly prolonged“. Ablativus qualitatis exiguo (vel minimo tractu) adiectivo lentum respondet, gravius fit sicut omne nefas, ita bellum civile tractu vel lentitudine. Etiam Tacitus haec duo vocabula ut

Ad alium transeo Lucani locum, quem mutatum inseruit Tacitus suo operi. Hic enim primo historiarum libro (cap. 86) enumerat prodigia eo tempore facta, cum inter Othonem et Vitellianos iam de summa imperii coeptum erat dimicari, e quorum numero valde erat memorabilis Tiberis inundatio: „Praecipuus . . . pavor subita inundatione Tiberis, qui non modo iacentia et plana urbis loca, sed secura eiusmodi casuum implevit". „Iacentia" hoc loco nihil aliud est nisi nostrum „tief gelegen", quem verbo sensum saepius subesse constat, ita tamen, ut plerumque opponantur „edita loca". Nude positum raro invenitur velut apud Vergilium Aen. III 688 sq. quem locum attulit Heraeus:

vivo praetervehor ostia saxo
Pantagiae Megarosque sinus Thapsumque iacentem.

Nunc conferas, quaeso, Lucani libri alterius v. 416/17, qui sunt de Eridano flumine versus:

non minor hic Nilo, si non per plana iacentis
Aegypti Libycas Nilus stagnaret harenas.

Haskins verba „per plana iacentis" interpretatur „level, flat", censet igitur „per plana" explicare et distinguere verbum „iacentis". Sic quamvis nihil obstet, quin locum explicemus, praefero tamen, quod voluit Francken, qui „iacentis Aegypti" dependere de verbo „plana" contendit, ut locus sit explicandus: „passim, per omnes planas partes iacentis, id est depressae, Aegypti Nilus exundat". Videamus enim, quid sentiat Lucanus: Comparat duo flu-

synonyma inter se coniungit Ann. XV 64 „durante tractu et lentitudine mortis". Itaque cum substantivum verbale tractus apud neminem nisi Tacitum et Lucanum de bello usurpatum inveni, haud absonum mihi videtur illum ab hoc aliquo modo pendere. Ac contra si Lucanus II 630 nominat „immensis tractibus Alpes", Tacitus Ann. II 23 dicit de austro „qui . . . . immenso nubium tractu validus et rigore vicini septentrionis horridior rapuit . . . naves", verba cum certe sint similia, sensus tamen tantopere discrepat, ut non facile quisquam credat pendere alterum ab altero.

mina, Eridanum dico et Nilum, quorum Eridanus esset non minor, nisi eveniret certis temporibus, ut immensis aquarum copiis auctus alveoque egressus Nilus per magnam et planam Aegypti partem inundaret terram, quod tum nimirum eum redderet maiorem Eridano. Hunc sensum inesse Lucani versibus censeo. Iam pauca dicam de textu.

„Libycis .. harenis“ omnes tradunt codices praeter Bruxellensem G, qui cum Servio scribit „Libycas .. harenas“, cum C, id est Commenti, prima manus tradiderit „Libycas .. harenas“, altera correxerit „Libycis .. harenis“. Sed alteram quoque lectionem ab antiquis temporibus traditam esse iam inde apparet, quod non solum a Servio, sed etiam codice G et prima Commenti manu est servata. Ac mihi quidem lectio a Servio tradita servanda esse videtur. Vide enim, qui tum sit loci sensus. „Nilus stagnat Libycas harenas“ idem est atque „inundat Libycas harenas“, qua significatione etiamsi verbum stagnandi apud Lucanum iterum non invenimus adhibitum, tamen eam possumus affirmare Taciti loco, quem attulit Haskins ad Lucani versum; exstat autem Ann. I 76: „Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis plana urbis stagnaverat“, ut hoc quoque loco videas, quam bene Tacitus ad verba poetarum insolita illustranda adhibeatur aut ex illis lucem ipse accipiat. Nec non iure credit Haskins haec annalium verba respicere ad Lucani versus. Quod si legimus „Libycis .. harenis“, concedo quidem verba „Nilus stagnat“ posse explicari; nam sensu intransitivo, quem vocamus, „stagnare“ est nostrum „aus den Ufern treten“. Sed iterum ostendam accusativum magis esse idoneum ad illustrandum Nilum longe terras inundantem et quasi mare e terris facientem. Sic illud „per plana iacentis Aegypti“, ea quam nos volumus interpretatione probata, et „Libycas Nilus stagnaret harenas“ bene depingunt Nilum longe e ripis egressum magnitudinem Eridani, fluminis ceterum haud ita parvi, superantem.

Iam redeo ad Taciti verba. Nonne verisimillimum, quin etiam est manifestum ei Lucani verba „plana iacentis Aegypti“ esse observata, cum scriberet „iacentia et plana urbis loca“? Utrum ipse sic sit interpretatus, ut nos volumus, Lucanum, an de industria ita mutaverit locum, ut sensum „depressi“ inferret in verbum iacendi, id diiudicare non audeo, cum iam nobis constet Tacitum haud raro mutare verborum auctoris sui sensum. Illa vero verba „plana“ et „stagnare“ iterum sumpsit Tacitus, ut modo diximus, Ann. I 76. Quod si recte de hoc loco iudicavimus, eum in eorum numero esse habendum postremo commemoro, ubi Tacitus e fine versus heroici repetiit verba, quae hac ipsa collocatione memoriae maxime imprimuntur.

Longa mora et cunctatione interposita cum tandem aliquando dederit signum proelio committendo Pompeius, omnia statim ad pugnam Pharsaliam expediunt milites: (VII 139 sqq.)

> nec gladiis habuere fidem, nisi cautibus asper
> exarsit mucro; tunc omnis lancea saxo
> erigitur.

Cum his versibus omnes fere Lucani et Taciti commentatores contulerunt Taciti Ann. XV 54, ubi enarratur Pisonis coniuratio. Scaevinus, qui erat inter coniuratos, „pugionem templo Salutis sive ... Fortunae Ferentino in oppido detraxerat gestabatque velut magno operi sacrum“. Tum pergit narrando auctor cap. 54: „Regressus domum testamentum obsignavit, promptum vagina pugionem ... vetustate obtusum increpans, asperari saxo et in mucronem ardescere iussit“, scilicet, ut scelus sibi propositum patraret hoc pugione. Manifestum profecto est Tacitum secutum esse Lucanum. Lucani verbis „cautibus asper“ sermone vere poetico prolatis optime respondet Taciti „asperari saxo“, ubi fortasse illud saxum ex altera sententiae parte adoptavit

rerum scriptor, („lancea saxo erigitur“), Lucani „exarsit mucro“ suo more mutavit Tacitus, ut oreretur „in mucronem ardescere“ artificiosius dictum pro „ita ardescere, ut mucro efficiatur“, quem finalem, qui vocatur, usum praepositionis „in“ saepe invenimus apud Tacitum [1].

Proximus haud minus dilucidus est locus. Agitur Ann. XVI 15 de Ostorii cuiusdam causa et morte: „Is fortitudinem saepe adversum hostes spectatam in se vertit; et quia venae quamquam interruptae parum sanguinis effundebant hactenus manu servi usus, ut immotum pugionem extolleret, adpressit dextram eius iuguloque occurrit“, ubi post „parum sanguinis“ silentio est addendum „quam ut hoc modo emori posset“. Luc. II 126 sqq. scriptum videmus de Scaevola:

te quoque neglectum violatae, Scaevola, dextrae
ante ipsum penetrale deae semperque calentis
mactavere focos; parvum sed fessa senectus
sanguinis effudit iugulo flammisque pepercit,

ubi facere non possumus, ut parvum illud plurimis codicum traditum mutemus cum uno vel duobus codicibus in „párum“ vel in „paulum“. Nam praeterquam quod optime conferuntur similia, ut Luc. II 140 „exiguum sanguinis“ et fortasse IV 239/40 „parvus cruor“, alia sunt perpauca quidem, sunt tamen exempla, quibus ipsa Lucani dictio confirmetur [2], Liv. 44, 26. 6 „parvum auri“ [3],

---

1) Taciti sententia coniecturam meam videtur confirmare „ardescere“ hic proprio sensu ardendi (= heiß sein, glühen) esse adhibitum, non significatione radiandi, quam subesse volunt nonnulli commentatores. Non solum radiat mucro, sed etiam calescit. Ad Taciti locum cf. praeterea Sil. Ital. IV 19:

domitat pars verbere anhelum
cornipedem in gyros saxoque exasperat ensem.

2) Cf. Kühner, Lat. Gramm. II 1 pag. 430. Adverbium „parvum“ adhiberi pro „parum“ exemplis docebat Lindsay, Arch. f. lat. Lex. 13, p. 133.

3) „Ipse equos phalerasque et sagula donum principibus ferre

ubi cum Weissenbornio supplere „pondus“ fuit supervacaneum, Val. Max. 1, 7. 7 „parvulum temporis“, Plin. n. h. 20, 70 „alba epiphoras sedat fronti inlita, aluminis parvo admixto ignem sacrum sine oleo trita“. Sen. Herc. Oet. 811 „parvum sui poenae reliquit“. Tacitus magis solitam restituit dictionem.

In initio alterius opusculi partis, qua continentur exempla, de quibus dubitare possis, quae tamen aliquo iure inter se comparari dixeris, profero locum, cuius me monuit Reitzenstein, Ann. XII 42: „Suum quoque fastigium Agrippina extollere altius: carpento Capitolium ingredi, qui honos sacerdotibus et sacris antiquitus concessus venerationem augebat feminae, quam imperatore genitam, sororem eius, qui rerum potitus sit, et coniugem et matrem fuisse, unicum ad hunc diem exemplum est“. Nusquam verba „exemplum est“ cum accusativo cum infinitivo coniuncta inveni nisi hic et apud Lucanum X 26 sqq.:

ludibrio servatus erat, non utile mundo
editus exemplum, terras tot posse sub uno
esse viro.

Crediderrim igitur Tacitum imitari poetae audaciam.

Tum id addam exemplum, cuius verba nulla fere alia ratione sunt explicanda nisi quod e Lucano sunt prompta, quem tamen Lucani locum esse imitatum Tacitum valde miramur. Enumerat Lucanus tertio carminis libro antiquo Homeri ritu Pompei quas contra socerum est ducturus vires. Phoenices illustravit, cum diceret hanc esse gentem, quae prima invenisset litteras: (v. 220 sqq.)

Phoenices primi, famae si creditur, ausi
mansuram rudibus vocem signasse f i g u r i s.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos

---

et parvum auri, quod inter paucos divideret, multitudinem credens trahi spe posse“.

noverat: et *saxis* tantum volucresque *feraeque*
sculptaque servabant magicas *animalia* linguas.

Alia profecto de re agit Tacitus Ann. XV 37. Nero, ut inquietem animi componeret voluptatibus et libidinibus, per publica loca struebat convivia, quorum unum in rate stagnum Agrippae supernatante celebrabatur. „*Volucres et feras* diversis e terris et *animalia* maris Oceano abusque petiverat".

Sed alterum prius consideremus locum. Tacitus, quo loco res poscit de hieroglyphis, quae vocantur, facere verba, sic dicit: (Ann. XI 14) „Primi per *figuras animalium* Aegyptii sensus mentis effingebant — ea antiquissima monimenta memoriae humanae impressa saxis cernuntur —, et litterarum semet inventores perhibent". Hic primum Tacitus respexisse Lucanum videtur, iterum illo loco modo allato. Nam mirum in modum pisces appellat „animalia maris", quod coniunctum cum illo „volucres et feras" per se haud insolito[1]) valde simile est Lucani verbis. —

---

1) Cf. ipsius Lucani VIII 764 sqq.

ne ponti belua quidquam,
ne fera, *ne volucres*, ne saevi Caesaris ira
audeat, exiguam, quantum potes, accipe flammam,

ubi „ponti belua" sunt pisces et rapaces maris animalia, tum Luc. X 158

multas *volucresque ferasque*
Aegypti posuere deos.

Praeterea cf. Pacuvii frg. vv. 197 sqq.

Matér, te appello, tú, quae curam sómno suspensám levas
neque té mei miseret, súrge et sepeli nátum [tuum]
prius quám *ferae*
volucrésque.

Lucanum respicit Ammianus quoque Marcellinus XXII 15 (quod iam vidit Heise) „*volucrum ferarumque* genera multa sculpserunt et *animalium* species quas hieroglyphicas litteras appellaverunt".

Inde a versu 250 septimi Lucani libri incipit oratio Caesaris, quam ante ipsam pugnam commissam habuit apud exercitum:

o domitor mundi, rerum fortuna mearum
miles, adest totiens optatae copia pugnae.

Continetur cap. 25 quarti annalium libri narratio belli contra Numidam Tacfarinatem in Africa gesti. Diu Romani, ut Caesar apud Lucanum, hoste continuo pugnam detrectante nihil proficiebant[1], cum tandem Numidae in aciem se commiserunt et „infensus miles memoria laborum et adversum eludentis optatae totiens pugnae se quisque ultione et sanguine explebant". Veri simile esse videtur Tacitum respexisse, cum scriberet haec verba, Lucani versus[1]).

Proxima quoque verba e Lucani sunt sumpta oratione, Taciti inserta orationi, unde, nisi falsa ducor opinione, luculentissime apparet Tacitum imprimis admiratum ac secutum esse Lucanum oratorem. Otho, cum prope seditionem ventum esset militum, non alienum esse ratus apud commilitones habere orationem, in ea haec fecit verba: (Hist. I 84) „Ulline Italiae alumni et Romana vere iuventus ad sanguinem et caedem depoposcerit ordinem, cuius splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianorum partium praestringimus?" Cuius sententiae exemplar fuisse videntur Lucani versus Pompei orationi inserti:

(II 532) „o vere Romana manus, quibus arma senatus
non privata dedit, votis deposcite pugnam".

Prima sententiae verba iam comparavit Haskins, ultima si modo ea respexit, suo more mutavit Tacitus, ut

1) Minus certum est imitatum esse Tacitum prima quoque Lucani verba „o domitores mundi", si Cerialem Hist. V 16 quarta decumanos „domitores Britanniae" inducit appellantem, quibus verbis studet benevolentiam captare militum, haec enim substantiva verbalia oratoribus huius aetatis in deliciis fuerunt.

novum aliquid nasceretur. Neque enim locus poposcit variare verba, cum scribi posset „sanguinem et caedem eius ordinis depoposcerit, qui ...“, si ad verbum exscribere voluit poetae versus Tacitus.

Depinguntur a Lucano I 129 sqq. duo belli civilis duces, Caesarem dico et Pompeium, quorum

alter (scil. Pompeius) vergentibus annis
in senium longoque togae tranquillior usu
dedidicit iam pace ducem,

id est, Pompei anni iam proxime senio appropinquant. Primum Tacitus absolute verbum vergendi adhibet: (Ann. IV 8) „miseratusque ... vergentem aetatem suam“, (IV 41) „mox Caesarem vergente iam senecta ... munia imperii facilius tramissurum“, ubi facile ex silentio suppletur „ad senium, ad mortem“. Maiore tum audacia imitari videtur Lucani versus Ann. XII 44, ubi narrat de Pharasmane Hiberorum rege: „Igitur Pharasmanes iuvenem potentiae promptae et studio popularium accinctum vergentibus iam annis suis metuens aliam ad spem trahere ....“ omisso illo „ad senium“, quae docet res „vergentibus annis“ esse dictum pro „vergente aetate“ vel „vergente senecta“. Denique mutato iterum hoc ipso insolite dicto ad tantam procedit dictionis audaciam, ut fingat Ann. XIII 19: „Ex quibus (feminis) erat Iunia Silana, ... Agrippinae diu percara, mox occultis inter eas offensionibus, ... impudicam et vergentem annis dictitans“, ubi id genus miramur mutandi, quod supra (p. 13 sq.) tractavimus, nisi quod licentiam et audaciam dictionis hic etiam auxit scriptor.

Ann. XIV 24 novum in modum fingit Tacitus „legati Tigranocerta missi patere moenia adferunt“ pro „patere portas moenium“. Insolentia figurae perductus est Nipperdey, ut conferret versum Lucani III 372 sq.

sic postquam fatus, ad urbem
haud trepidam convertit iter; tunc moenia clausa
conspicit et densa iuvenum vallata corona“.

Ad Germaniae Taciti cap. 14 „nec arare terram aut exspectare annum tam facile persuaseris quam vocare hostem et vulnera mereri“ Schweizer-Sidler[1]) confert Luc. III 452 „Agricolae raptis annum flevere iuvencis“ et e Stat. Silv. 3, 2. 22 „Pharium annum“ pro „messibus Aegypti“, denique Agr. 31 „ager atque annus in frumentum conteruntur“, ubi identidem „annus“ poni pro „eventu annuo, annua messe“ videmus. Ex eis quae verbi anni usus collegit Thesaurus linguae Latinae exemplis, unum e Cicerone allatum statim omitto, cum primo aspectu intellegatur minus idoneum esse exemplum. Tum conspiciamus proximum, Vergili dico Ge. I 221 sqq.

ante tibi Eoae Atlantides abscondantur
Gnosiaque ardentis decedat stella coronae
debita quam sulcis committas semina, quamque
invitae properes anni spem credere terrae,

ubi statim dixeris non „annum“, sed „spem anni“, fungi vice verbi „fructus anni“; unde patet hoc quoque exemplum non recte esse allatum.

Illi, quod e Statio rettuli, exemplo iam addam duo: Theb. II 407

satis ostro dives et auro
conspicuus tenuem germani pauperis annum
visisti,

et Theb. IX 404 sqq.

at pater arcano residens Ismenos in antro
unde aurae nubesque bibunt atque imbrifer arcus
pascitur et Tyrios melior venit annus in agros,

quae verba sic explicat scholiasta: pluviis meliora frugum incrementa proveniunt[2]).

1) Cf. Goebel p. 14.

2) Statius Theb. IV 705 sqq.
sic ubi se magnis refluus suppressit in antris
Nilus et Eoae liquentia fabula brumae

Primus igitur, quantum nos quidem videmus, Lucanus per metaphoram annum dixit pro messe, secuti sunt et Statius et Tacitus. Possis iam quaerere utrum Lucanum an Statium Tacitus secutus sit, quoniam Furneaux inter exemplaria a Tacito adhibita non deesse Statii locos sibi persuasit. Sed ex eorum numero unum tantum restat, quod aliqua cum probabilitate ita explanetur.

Theb. II 659 Chromes Tyrii Cadmi proles Menoetem vitam a se petentem his necat verbis:

„inanis perdis . . . lacrimas . . .
quid timidae sequeris compendia vitae?
bella manent". Simul haec et crassum sanguine telum
iam redit.

Ann. I 65 Arminius in Romanos Caecina duce bellantes moliens impetum his verbis suos accendit: „En Varus eodemque iterum fato vinctae legiones": simul haec et cum delectis scindit agmen equisque maxima vulnera ingerit". Quoniam igitur alia nobis desunt exempla, recte fortasse iudicamus illo loco Tacitum respicere Lucanum, non Statium.

Tum sequi Tacitum censeo Lucanum illo annalium loco, ubi agitur de Agrippina Neronis matre: (XIV 3) „Ministros temptare arduum videbatur mulieris usu scelerum adversus insidias intentae". Nemini puto Romanorum, qui legebat haec verba, non in mentem venisse Lucani versus, orationis dico illius senum, qua conqueruntur iterum se

ore premit . . . donec Phariis alimenta rogatus
donet agris magnumque inducat messibus annum

ubi nimirum „annus" proprio est adhibitum sensu, alludit ad Luc. III 70, quem versum citat Schol. Statii: „Effusis magnum Libye tulit imbribus annum", sed ita, ut ex illo Lucani verbo, quod proxime accedit ad singularem verbi anni significationem, efficiat „magnum messibus annum". Sic primo verbi sensu restituto explicat fere Lucanum. Fortasse etiam Theb. IX 407, quem versum in textu attuli, alludit ad Lucanum.

videre bella civilia, iterum omnium corrumpi mores: (II 96 sq.)

nulli gestanda dabantur
signa ducis, nisi qui scelerum iam fecerat usum.

Verisimilius hoc fit ea re, quod in fine versus posita sunt verba, haud aliter ac proximo loco, quem tamen in incertis velim haberi exemplis. Dicit Pompeius pugna Pharsalia devictus ac transvectus Lesbum, ubi uxor eius belli exitum exspectaverat, apud Mytilenarum volgus (VIII 136 sq.) se veritum non esse

tantam veniae committere vobis
materiam. Sed iam satis est fecisse nocentes,

scilicet, me vos fecisse nocentes Caesari. Agitur apud Tacitum Ann. I 40 sqq. similiter de uxore et liberis Germanici, sed alio sententiarum conexu. Egredi eos iubet e castris Romanis Germanicus, ne ira et furore militum in periculum deducantur. Tum vero apud milites paenitentes et miserantes „muliebre et miserabile agmen" Germanicus et ipse iratus habet orationem, in qua cum alia tum haec facit verba: (c. 42) „Coniugem et liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus summoveo, ut, quidquid istud sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur, neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus nocentiores vos faciant". Quamquam concedo esse leviorem Taciti sententiam neque certis argumentis posse affirmari eum esse secutum Lucanum[1]).

1) Ceterum hac Germanici oratione iterum et saepius alludit ad alios auctores Tacitus, quod singulis locis editores, alius aliud, iam viderunt. Proxima ipsa verba „inausum intemeratumve vobis" fortasse coniuncta sunt e Verg. Aen. II 143 (si qua est quae restat adhuc mortalibus unquam intemerata fides) et Aen. VII 308 (nil linquere inausum). Tum ad proxima „milites an cives" Nipperdey confert Liv. 28, 27. 3 „quos ne quo nomine quidem appellare debeam scio. Cives? qui a patria vestra desciscitis — an milites? qui imperium auspiciumque

Ceterum ad eos iam venimus locos, quos ut exhauriam materiam afferre non omittam, etiamsi sint incertissimi. Orant apud Lucanum (III 307 sqq.) Massilienses Caesarem, ut suam urbem effugium esse pateretur viris bello civili fessis neve suae civitati inferret tumultum et bellum (333 sqq.)

sit locus exceptus sceleri Magnoque tibique
tutus, ut invictae fatum si consulat urbi,
foedera si placeant, sit quo veniatis inermes.

Agitant inter se Britanni apud Tacitum (Agr. 15) de malis servitutis, „conferunt iniurias et interpretando accendunt“, scilicet, quas a Romanis acceperant: „Nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum“. Mire consentiunt, etiamsi sint diverso dicta sensu, verba, cui accedit rei, quod apud utrumque inserta sunt orationi; quod quo saepius occurret nobis in opusculo conficiendo, eo verisimilius fiet Lucanum his etiam locis exemplar fuisse Taciti. —

Saepe apud Lucanum videmus coniuncta synonyma „furor et rabies“, ut VII 551

„hic furor, hic rabies, hic sunt tua crimina, Caesar“,

ubi proximum illud „ignes animis flagrantibus addit“, quod supra commemoravimus, testatur totum hunc locum ut totum librum Lucani septimum notissimum Tacito fuisse et gratissimum. Tum de amore Caesaris in Cleopatram accenso dicitur (X 72)

in media rabie medioque furore ....
admisit Venerem curis,

similiter X 529

sed non auctore furoris
sublato cecidit rabies“.

abnuistis, sacramenti religionem rupistis“, ubi „proiecta senatus auctoritas“ rursus similiter est dictum atque apud Livium (II 27. 11) „proiectum consulare imperium“. Ad verba „egregiam duci vestro gratiam refertis“, ubi egregius per ironiam apud Tacitum non infrequentem dicitur, Furneaux confert Vergili Aen. IV 93 „egregiam vero laudem et spolia ampla refertis“.

Eadem coniungit synonyma Tacitus Hist. I 63: „raptis repente armis ad caedem innoxiae civitatis, non ob praedam aut spoliandi cupidine, sed furore et rabie ....". Nihil de hoc loco audeo affirmare, quoniam facile eiusmodi verba inter se coniunguntur: satis habeo locos attulisse [1]).

Coniectant Furneaux et Gudeman [2]) illud „spargere bellum", quod bis adhibet Tacitus Agr. 38 „exacta iam aestate spargi bellum nequibat", ubi praecedit illud „incerta fugae vestigia" (cf. supra p. 44) et Ann. III 21 „sed Tacfarinas perculsis Numidis et obsidia aspernantibus spargit bellum, ubi instaretur, cedens ac rursum in terga remeans", fictum esse auctore Lucano: (II 680 sqq.)

Pompeius tellure nova compressa profundi
ora videns curis animum mordacibus angit,
ut reseret pelagus spargatque per aequora bellum,

id est, ut transferat bella vel exercitus bellantium in omnia maria [3]). Praeter Silium Italicum (IX 277 quaeque arte dolisque scindent se turmae praedicit, spargere bellum) neminem adhuc repperi, qui hoc praeberet, ut recte coniectari possit Tacitum secutum esse Lucanum [4]).

Apud Ilerdam paucis verbis Caesar militum animos sedavit: (IV 280)

---

1) Cf. etiam Catulli carm. 63, 4 „stimulatus ibi furenti rabie (scil. Attis)".

2) Gudeman in praefatione Agricolae editionis pag. 28.

3) Sic dicit iterum Lucanus III 64 „bellaque Sardoas etiam sparguntur in oras", quin etiam summa dicendi audacia I 466 sq. „Caesar ... per omnem spargitur Italiam" pro „partes" vel „copiae Caesaris". Furneaux coniectat Lucanum cepisse verba e Verg. Aen. VII 551 „arma per agros spargere"; quem fortasse sequitur Luc. VI 269 „armaque late spargit".

4) Ann. XIII 37 Tacitus dicit „circumferre bellum" secundum Livi IX 41. 6 „circumferendoque passim bello tantum terrorem sui fecit, ut nomen omne Etruscum foedus ab consule peteret".

sic deflagrare minaces
incassum et vetito passus languescere bello,
substituit merso dum nox sua lumina Phoebo.

Cum his verbis, illo imprimis deflagrandi, puto esse componendum Taciti illud (Hist. II 29): „Tum Alfenus Varus praefectus castrorum, deflagrante paulatim seditione, addit consilium". Qua re commovear, ut aliquam rationem intercedere inter eos, de quibus loquimur, auctores censeam, statim explicabo. Praeterquam quod res narratae valde inter se concordant, de verbo deflagrandi hoc est dicendum: adhibetur primum eodem sensu atque „incendio absumi, deleri", ut apud Ciceronem et Livium, tum translate, ut eo quem nunc tractamus loco, significat „mitigari, evanescere", quo sensu occurrit rarissime. Primum sic occurrit apud Livium (40, 8. 9), ubi agitur de Philippo, Macedonum rege, filios suos discordes Perseum et Demetrium adloquente: „sed interdum spes animum subibat deflagrare iras vestras ..." Lucani auctor fortasse est Livius, Tacitum vero nihil obstat quin putemus sectari Lucanum, praesertim cum, ut iam dixi, mire congruant loci.

Magis iam est diffidendum proximo loco. Luc. IV 264 apud Ilerdam hostes

inopes undae praerupta cingere fossa
Caesar avet,

id est fossa, cuius latera sunt praecipitia. Elucet igitur Lucanum id, quod de montibus et rupibus dicebatur, insolita dicendi ratione transtulisse in fossas; quantum enim video, hac attributione alibi verbum fossae non denotatur. Itaque Lucanum respici a Tacito censeo, qui Hist. II 41 dicit de pugna inter Othonianos et Vitellianos ad Padum flumen facta: „Apud Othonianos pavidi duces, miles ducibus infensus, mixta vehicula et lixae, et praeruptis utrimque fossis via quieto quoque agmini angusta". hac una re tamen dubia relinquitur mea sententia. Dicit

enim Hirtius bell. Alex. cap. 74: „Simul contemptu exercitus nostri, quem pulsum a se Domitio duce sciebat, inito consilio dimicandi descendere praerupta valle coepit", ubi verbum „praeruptus" simili adhibetur sensu atque apud Tacitum ac Lucanum. Nam proprio sensu vallis est locus inter duos depressus montes. Quodsi coniungitur cum adiectivo „praerupti", facile intellegitur vallem declives potius esse partes montium quam ipsam vallem [1]). Sic fortasse „praerupta fossa" maiore est dictum audacia quam „praerupta vallis". Sed dubium est exemplum.

Similiter de proximo iudico loco. Dicit Tacitus Hist. III, 69: „Longius iam progressus erat quam ut regredi posset, et suo quisque metu .... cunctantem in arma impellebant", quae ultima verba fortasse sunt comparanda cum duobus Lucani locis,

1) Eandem verbi vallis significationem invenimus in fine eiusdem Hirti capitis, ubi scriptum legimus: „tum interim Pharnaces eodem gradu, quo in proclivem descenderat vallem, ascendere adversus arduum collem instructis copiis coepit". Illud „quo in proclivem descenderat vallem", quod cum Duebnero et Nipperdeio scripsi, haudquaquam sic est traditum. Plerique enim codicum tradunt, „quo in proelium descenderat vallem", quod sensu carere nemo non videt. V tradit, quod est peius, „quo in bellum descenderat vallem", UFH alii „quo praeruptam in proelium descenderat vallem", cum unus D tradat, quod explicari potest: „Quo in praeruptam descenderat vallem". Quid igitur iudicabimus de toto hoc loco? Sine dubio in illo „proelium" corrupte a plerisque tradito latet adiectivum, quo explicatur substantivum „vallem". Quod cum recte intellegeret scriba codicis D, secundum illud „praerupta valle" supra dictum scripsit „praeruptam in vallem", UFH vero referendi sunt ad id manuscriptum, quod praeter illam corruptelam „in proelium" suprascriptam servavit coniecturam, unde factum est, ut utrumque afferret in textu. Quid igitur est scribendum? Dixerit quispiam optime „praeruptam" respondere et sensui et loco superiori. At quid dicamus de illa corruptela „in proelium?" Optime mea quidem sententia cognovit Nipperdey in his verbis latere adiectivum proclivis, quod aptissimum est ad sensum exprimendum neque audacius est dictum quam illud „praerupta vallis". Sic is quoque locus est exemplo verbi vallis non proprio sensu dicti.

I 67 sqq. fert animus causas tantarum expromere rerum; immensumque aperitur opus, quid in arma furentem impulerit populum,

et VII 718 cunctas impellere gentes rursus in arma potes,

ubi tamen ea res affert dubitationem, quod iam inde a Cicerone tritum invenimus „ad bellum impellere". Tamen „arma" pro „bello" fortasse poetico magis est tinctum colore. —

Proximum rursus ex illa Caesaris oratione totiens commemorata afferam locum (VII 261). Adscripsit enim Heraeus ad Taciti verba Hist. III 73 „inrumpunt Vitelliani et cuncta sanguine ferro flammisque miscent": „Reminiszenz aus Livius I 29 „cursus per urbem armatorum omnia ferro flammaque miscet", recte, ut nemo non videt. Sed cum Livius dicat „ferro flammaque", apud Tacitum invenimus „ferro flammisque" plurali numero dictum, quod non esset mirum, nisi apud omnes fere praeter Lucanum (et Ovidium, ut paulo post videbimus) singulari numero inveniremus „ferro flammaque". Apud veteres scriptores usitatum est „ferro ignique", cuius locum postea obtinet illa poetica magis verborum coniunctio alliterationis figura adhibita. Woelfflin [1]) nos docet singulari numero identidem occurrere verba. Primus Ovidius induxisse videtur numerum pluralem her. 12, 183

dum ferrum flammaeque aderunt sucusque veneni
hostis Medeae nullus inultus erit.

et artis amat. II 379 in ferrum flammasque ruit, secutus est Lucanus (VII 261)

pro me patriam ferro flammisque petistis ...

idque in praeclara illa Caesaris oratione a Tacito totiens adhibita. Repetit formulam Tacitus Ann. I 51 „(Caesar)

1) Münch. Sitz.-Ber. 1881 p. 55 u. 57 (Über die alliterierenden Verbindungen der lat. Sprache).

quinquaginta milium spatium ferro flammisque pervastat". Hoc quidem dicere possumus formulam pluralis numeri ante Tacitum poetis esse proprium, unde is eam sumpsisse videatur [1]).

Ultimum iam huius partis nunc afferam exemplum. Quarto carminis libro inseruit Lucanus cursui rerum fabulam Antaei more oratorio copiose narratam. Constat illum gigantem cum Hercule pugnantem e terra matre reparasse vires, cum illam corpore tangebat (v. 643 sq.)

> quisquis inest terris, in fessos spiritus artus
> egeritur, tellusque viro luctante laborat".

Quod recte interpretatur Haskins, cum explicet spiritum e terra egestum in artus gigantis induci: uno igitur verbo duae coniunguntur res. Huius loci nos admonet Taciti Ann. XV 64: Mortem Paulinae, Senecae uxori, una cum marito destinatam atque iam illatam inhiberi subito iubet Nero „servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae .... (Vitae) addidit paucos postea annos (Paulina), laudabili in maritum memoria et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum". Praeter illud adiectivum vitalis a Tacito additum verba „spiritus egestum" tam similia sunt verbis Lucani, ut coniecturam quidem capere possimus huius versus ante oculos illi esse versatos, nisi Plini locus indicaret communem proferri fortasse rem et sententiam, cf. Plinii nat. hist. 31, 33. 1 „praeterea est alius usus multiplex, principalis vero navigandi phthisi affectis, ut diximus, aut sanguine egesto". Spiritum vero vel animam contineri sanguine iam inde a Homero communis erat opinio [2]).

---

1) Ceterum ne hoc quidem loco commemorare omitto verba alia ex aliis auctoribus sumpta. „Captus animi non lingua, non auribus competere" supra (p. 19) attulimus, nec non finem capitis („audaciam pro latebris haberent", p. 23).

2) Cf. Pseud.-Quintil. Declam. 5, 18 „si vulneribus confectos re-

Cum ad eam, qua incertissima vel falso allata exempla continentur, accedam opusculi partem, primum eos locos tractabo, quos iam attulerunt commentatores, tum ipsa unum alterumve proferam.

Ad Hist. I 59 „et erant in civitate Lingonum octo Batavorum cohortes, quartae decumae legionis auxilia, tum discordia temporum a legione digressae, prout inclinassent, grande momentum sociae aut adversae" iam Lipsius contulerat Luc. IV 819

momentumque fuit mutatus Curio rerum.

Caremus certo argumento, quo docere possimus Lucanum hoc loco exemplar fuisse Taciti, praesertim cum verba „grande momentum" saepius occurrunt apud Tacitum[1]).

Ad Lucani VI 270 effuso laxat tentoria campo et VIII 368 sqq. Parthus per Medica rura
Sarmaticos inter campos effusaque plano
Tigridis arva solo nulli superabilis hosti est
libertate fugae

Haskins confert Taciti Germ. 30 „ultra hos Chatti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae civitates, in quas Germania patescit", ubi insolite dictum esse „effusus" de locis longe pertinentibus concedo. — Ad Luc. X 358 sq. de Cleopatra dictum:

nam Latio iam nupta duci est, interque maritos
discurrens Aegypton habet Romamque meretur,

misisset acies, properantius ei clauderem plagas, per quas animam largior sanguis egereret".

1) Imprimis affero Germ. 25, 9: „liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate", ubi ipsae personae loco ponderis sunt, cum simplicius sit, quod dicit Tacitus Hist. II 86: „Labantibus Vitellii rebus Vespasianus secutus grande momentum addidit", id est, pondus in trutina posuit, ut explicant Gerber-Greef (Tacitus-Lexikon s. v. momentum).

ubi ultimum verbum sine dubio alludit ad substantivum „meretrix" idem affert Taciti Hist. I 30, ubi Piso adoptatus a Galba cum alia tum haec dicit de Othone apud milites: „habitune et incessu an illo muliebri ornatu mereretur imperium", ubi, si modo respexit Lucanum, Tacitus acuit sententiam, quam transtulit ad virum, sed quam explicuit rursus addito verbo „muliebri ornatu"[1]). Denique, priusquam ad cetera transgredior, unum Gudemanni afferam locum, cuius mentionem fecit in praefatione Agricolae editionis (p. 28). Ac profecto fatendum est simillima esse argumenta, neglecta tamen similitudine verborum. Agitur enim quarto Lucani libro de militibus Pompei et Caesaris ad Ilerdam pacem et amicitiam facientibus (v. 196 sqq.)

pax erat, et miles castris permixtus utrisque
errabat; duro concordes caespite mensas
instituunt et permixto libamina Baccho;
graminei luxere foci, iunctoque cubili
extrahit insomnis bellorum fabula noctes,[2])
quo primum steterint campo, qua lancea dextra
exierit. Dum, quae gesserunt fortia, iactant,
et dum multa negant, quod solum fata petebant,
est miseris renovata fides ...."

Cum his confert verbis Gudeman Taciti narrationem Agr. 25: (geritur terra simul marique bellum) „(cum) saepe isdem castris pedes equesque et nauticus miles mixti copiis et laetitia sua quisque facta, suos casus attol-

1) Ceterum haec quoque oratio abundat alienis flosculis. „Perdere iste sciet, donare nesciet" sine dubio respexit Liv. 22, 51: „vincere scis, Hannibal, victoria uti nescis". (Heraeus). „Feminarum coetus volvit animo" nos admonet Vergili Aen. VI 157 „caecosque volutat eventus animo secum". Tum „nemo enim unquam imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit" fortasse alludit ad Sallustii Cat. 2, 4 „nam imperium facile eis artibus retinetur, quibus initio partum est". De verbis „vacua nomina" supra iam sum locuta.

2) De hoc Lucani versu vide infra pag. 88 sq.

lerent, ac modo silvarum ac montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc victus Oceanus militari iactantia compararentur". Simillimae profecto sunt narrationes: nonnulla quoque verba aliquantulum consentire vides. Quin etiam concedo fieri posse, ut Tacito hic Lucani locus ante oculos sit versatus, cum scriberet hoc Agricolae caput. Ceterum tales narrationes alibi quoque inveniuntur[1]).

Ut omnes, qui quamvis parvam, praestare tamen similitudinem videantur, afferam locos, hunc quoque commemorabo, quem contulit Furneaux, etiamsi mea quidem sententia sit incertior. Narrat Tacitus (Ann. II 75) de Agrippina, Germanici uxore, quae, cum Germanicus a Pisone, ut credebatur interfectus esset „incerta ultionis, anxia sui et infelici fecunditate fortunae totiens obnoxia" erat. Cum huius sententiae exitu confert Furneaux Lucani verba (VII 661) Pompeio victo attributa:

si plura iuvant mea volnera, coniunx
est mihi, sunt nati; dedimus tot pignora fatis,

quo tamen exemplo mihi non satis persuasit.

Tandem ad versus Lucani X 425 sqq.

sed metuunt belli trepidos in nocte tumultus,
ne caedes confusa manu permissaque fatis
te, Ptolemaee, trahat

Haskins confert Taciti Ann. VI 46 „incertus animi, fesso corpore, consilium, cui impar erat, fato permisit", ubi certe „fato" paene dicitur pro „casui" [2]). Fortasse

---

1) Silentio praetereo alterum, quem affert Gudeman, locum, cum conferat Luc. VII 282 sqq. cum verbis Calgaci (Agr. 32) „licet dominationi alienae etc.", quod uterque sine auctore dicere potuit et deest magna similitudo.

2) Similia verba legimus scripta Luc. VII 331 sqq.

capiunt praesagia belli
calcatisque ruunt castris, stant ordine nullo,
arte ducis nulla permittuntque omnia fatis,

etiam comparari potest illud Taciteum (Hist. II 69) „principium interno simul externoque bello parantibus fatis" cum Lucani (VI 783 al.) „quid fata pararent hi fecere palam".

Nunc ad mea ipsius accedam exempla, quae, etiamsi vix firmiora esse credam eis quae modo attuli, tamen commemoranda esse putavi, ut id quod propositum est exhauriam.

Agr. 35 quomodo acies Romanorum ac Britannorum constiterit, describitur, cui hunc finem capiti imponit Tacitus: „Agricola superante hostium multitudine veritus, ne in frontem simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat et arcessendas plerique legiones admonebant, promptior in spem et firmus adversis, dimisso equo pedes ante vexilla constitit". Sed alium huic addam locum. Finis eius, quo agitur de Othonis itinere, capitis hic est: (Hist. II 11) „nec illi segne aut corruptum luxu iter, sed lorica ferrea usus est et ante signa pedes ire, horridus, incomptus famaeque dissimilis". Nunquam, cum hoc legebam, facere poteram, quin recordarer nonum illum Lucani librum, ubi videmus Catonem per horridas Libyae regiones exercitum ducentem (v. 587 sqq.)

ipse manu sua pila gerit, praecedit anheli
militis ora pedes, monstrat tolerare vapores [1]),
non iubet et nulla vehitur cervice supinus
carpentoque sedens;

Tac. Hist. III 60 „initia bellorum civilium fortunae permittenda, victoriam consiliis et ratione perfici", ubi sensus tamen differt aliquantulum.

1) „Labores" omnes tradunt codices praeter V, qui scribit „vapores", quod ut loco aptius receperunt Hosius et Francken collato IV 305

quoque minus possent siccos tolerare vapores,
quaesitae fecistis aquae.

Ceterum „vapor" pro aestu et calore solis usitatum est in Lucreti carmine.

fortasse non est alienum conicere Tacito illum locum esse obversatum [1]).

Caesar Brundisio cum exercitu profectus transvehitur navibus ad oram oppositam, ut de summa imperii decertet cum Pompeio. Mare iacet summa tranquillitate placidum Luc. V 434 sqq.

aequora lenta iacent, alto torpore ligatae
pigrius immotis haesere paludibus undae.

Tum ad explicandum verbum pigri, fortasse Vergilio auctore (Haskins), addit „Bosporum astringentem Scythicas undas", cum „immensum gelu tegitur mare". Ceterum „piger" erat tum ἐπίθετον constans extremi Oceani. Afferam Taciti Germaniae, quam vocamus, locum (cap. 45) de mari trans Sitonas sito: „Trans Sitonas aliud mare, pigrum ac prope immotum". Hunc Germaniae locum respicere, descriptionem maris septentrionalis, quod adluit oram Britanniae insulae quodque commemorat ipse Tacitus vitae Agricolae cap. 10: „Mare pigrum ac grave remigantibus perhibent ne ventis quidem perinde attolli", docuit Reitzenstein [2]). Verba Taciti simillima esse Lu-

1) Gestantur apud Tacitum Galbae et Pisonis capita per vias urbis: (Hist. I 44) „Praefixa contis capita gestabantur inter signa cohortium iuxta aquilam legionis". Similiter apud Lucanum bis videmus (II 160/1)

colla ducum pilo trepidam gestata per urbem
et medio congesta foro

et IX 137 gestata per urbem
ora ducis, quae transfixo sublimia pilo vidimus.

Sed nihil certi de his audeo dicere locis. Quodsi Tacitus Hist. III 84 inducit milites dicentes: „Proprium esse militis decus in castris: illam patriam, illos penates", Lucanus vero Pompeium (VIII 131)

tenuit nostros hac obside Lesbos
affectus; hic sacra domus carique penates
hic mihi Roma fuit,

eiusmodi loci apud duos auctores et oratores non sunt comparandi, cum communem contineant sententiam oratorum.

2) l. l. p. 264 Graece hoc est πεπηγυῖα vel νεκρὰ θάλασσα.

cani nemo negabit. Piger, ut modo dixi, non modo dictum occurrit de aquis stagnantibus, sed etiam de Oceano extremo ut hoc Taciti loco. „Immotum“ quoque vel similia per se haud ita insolite sunt dicta. Sic apud Curtium Rufum Alexander apud milites facit verba de Indico mari: (IX 4) „Caliginem et tenebras et perpetuam noctem profecto incubantem mari, repletum immanium beluarum gregibus fretum, immobiles undas, in quibus emoriens natura defecerit“, et in fonte huius, Senecae dico suasoriis 1, invenimus: „Stat immotum mare quasi deficientis in suo fine naturae pigra moles“. Hunc Senecae ideo attuli locum, quod verba „immotum“ et „pigrum“ hic quoque invenimus coniuncta. Sed Tacitum respicere Senecae locum non possum credere, quoniam simpliciora Lucani verba ei ante oculos esse versata multo est verisimilius.

Quod Tacitus Hist. II 78 appellavit Vespasianum „rerum dominum“, fortasse illi obversabatur Luc. VI 595, ubi his adfatur dictis magam Thessalicam Sextus Pompeius

non ultima turbae
pars ego Romanae, Magni clarissima proles,
vel d o m i n u s r e r u m vel tanti funeris heres.

Ann. VI 27 Tacitus nominat Aemilium genus „fecundum bonorum civium“, quod admonet nos Lucani I 165 „fecunda virorum paupertas“. —

Oppugnabatur Massilia, cum Caesar milites succidere sacrum nemus ad extruenda machinamenta iussit. Qui veriti, ne caesis roboribus sacris magnam deorum iram sibi conciliarent, diu cunctabantur. Tum vero (III 432 sq.)

implicitas magno Caesar torpore cohortes
ut vidit, primus raptam vibrare bipennem ausus . . . .
effatur . . .

Velim compares cum his Taciti verba Hist. III 77 de Tarracinae expugnatione: „Ceteri ad naves ruebant, ubi cuncta pari formidine implicabantur“.

Hist. II 99 agitur de Caecina, Vitellii legato, cuius fides erat infirma et suspecta, nam „credidere plerique Flavii Sabini consiliis concussam Caecinae mentem ...“ id est „fidem“ („treue Gesinnung“ interpretatur Heraeus), scil. erga partes et principem. Quodsi Lucanus dicit de militibus Petrei legati oratione commotis, ne pacem et amicitiam facerent cum cognatis amicisque suis (IV 235 sq.)

sic fatur et omnis
concussit mentes scelerumque reduxit amorem;

simpliciora certe Lucani verba sunt, cum mentes pro ipsis fere militibus usurpentur („er machte alle Soldaten wieder schwankend“); sed quia iunctura horum vocabulorum haud solita est, locum attuli.

In fine eius, qua agitur de Aemilia Lepida, narrationis sua brevitate dicit Tacitus (Ann. VI 40): „Ergo omissa defensione finem vitae sibi posuit“. Nescio an non insolite dicta sint ultima verba pro nostro „seinem Leben ein Ende machen“, quod quantum video alibi exprimitur „finem vitae imponere vel facere“. Quare fortasse non est alienum credere Tacitum secutum esse Lucanum, qui sic Caesarem alloquitur (V 313/4)

lassare et disce sine armis
posse pati, liceat scelerum tibi ponere finem. —

Semel atque iterum Lucanus inducit aliquem hominem vel aliquam rem, quae moretur fatum vel fortunam, ut II 581

indomitum regem Romanaque fata morantem
ad mortem Sulla felicior ire coegi,

quae sunt verba Pompeii dicta de Mithridate rege: illum, quod longe, ne superaretur, obstitisset, fata, id est victorias Romanas, esse moratum, IV 351 „nil fata moramur“ in oratione Afrani a Caesare capti, alibi [1]). Simi-

---

1) Cf. VII 88 nil ultra fata morabor, VI 726 has fatis licuisse moras.

liter dicit Tacitus de Flavio Sabino, Vespasiani fratre: (Hist. III 65) „Erant, qui occultis suspicionibus incessererent, tamquam invidia et aemulatione fortunam fratris moraretur", id est; tamquam impediret, ne imperator fieret Vespasianus[1]).

Utrum Taciti Agr. 44 „festinatae mortis grande solacium", Hist. II 48 „mereri se festinato exitu clementiam victoris" respexerit Lucani V 659/60

licet ingentes abruperit actus
festinata dies fatis, sat magna peregi,

necne, id diiudicare non audeo, sed verisimile esse non videtur, primum, quod artificiosius loquitur Lucanus, cum Tacitus simpliciore utatur dictione, tum quod haec ipsa Taciti dictio ex ipsius nonnullis locis optime explicatur, ut Ann. XIV 33: „Neque enim capere aut venundare aliudve quod belli commercium, sed caedes patibula, ignes cruces tamquam redditari supplicium ac praerepta interim ultione festinabant", aut Ann. IV 28 „qui (Caecilius Cornutus) taedio curarum et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit"[2]).

Unum denique in hac opusculi parte afferam et copiosius tractabo locum, priusquam ad ultimam transgredior partem. Secundo Lucani libro inducitur Cato, depinguntur mores huius hominis vere Romani, qui labentibus omnium ceterorum moribus solus servaverat pristinam illam virtutem atque honestam paupertatem. Ac dicit poeta (v. 384 sqq.)

Huic epulae, vicisse famem; magnique penates,
summovisse hiemem tecto; pretiosaque vestis,
hirtam membra super Romani more Quiritis
induxisse togam[3]).

1) Cf. Hist. I 10 „destinatum Vespasiano liberisque eius imperium post fortunam credidimus".

2) Nipperdey ad Ann. III 17 affert exempla eorum festinandi et properandi verborum, quae transitive solent adhiberi.

3) Ad rem Haskins confert Plut. Cat. 6: πολλάκις δ' ἀνυπόδητος

Cuius loci mihi venit in mentem, cum scriptum legerem in Taciti dialogo, in Messalae oratione (cap. 26): „Melius est orationem vel hirta toga induere quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo hercule ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos exprimant“ [1]). Videamus, qui sit verborum contextus: Messala, admirator summus pristinae illius eloquentiae, quae repudiat nimium orationis ornatum, mavult „C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis“. Tum inducit, quod modo attulimus, orationem quasi animantem, quam induere tantum hirta toga, id est veste simplicissima et qua pauperes utantur, non magnificis vestibus ornare deceat. Facile conieceris respexisse Tacitum Lucani illum locum, qui cum hominem pristina illa virtute Romana praeditum celebraret, certe erat inter notissimos. Sed cave ne alium locum neglegas. In Quintiliani inst. orat. XII 10. 47 haec invenimus verba: „Do tempori, ne hirta toga sit, non, ut serica, ne intonsum caput, non ut in gradus atque anulos comptum, cum eo, quod si non ad luxuriam ac libidinem referas, eadem speciosiora quoque sint quae honestiora“. Videamus rursus, qui sit nexus sententiarum. Disserit Quintilianus de oratione mediam viam inter nimiam verborum luxuriam atque ornatum et paupertate tenente, ita ut „salva tractatione causae“ etiam

---

καὶ ἀχίτων εἰς τὸ δημόσιον προῄει μετ' ἄριστον, id est, omissa tunica toga solum indutus erat Cato, cuius rei est documentum etiam Horat. Epp. I 19, 12—14:

> quid? si quis voltu torvo ferus et pede nudo
> exiguaeque togae simulet textore Catonem
> virtutemne repraesentet moresque Catonis?

1) Locos contulit Gudeman ad Dial. c. 26.

voluptati detur aliquid; tum affert verba modo commemorata. Iam cum Tacitus et Quintilianus praebeant inter se quandam similitudinem, uterque praeterea habeat Lucani „hirtam togam“, quaerendum est, quae ratio intercedat inter auctores. Respexeritne Tacitus Quintilianum, difficillimum est diiudicatu, quod nescimus, quo tempore sit compositus Dialogus. Neque altera ex parte e re cogere possumus Tacitum esse imitatum Quintilianum, quia suum locum inducit Quintilianus exempli loco, cum Tacitus similibus utatur verbis, ut ipsam orationem quasi vita et spiritu praeditam fingat et veste induat. Denique coniectare possumus et Tacitum et Quintilianum adhibere Lucanum, quod ipsum non est veri simile, cum uterque translate eandem adhibeat imaginem. Sic fortasse recte iudicamus, si putamus utrumque respicere simile quoddam, quod erat proprium ac solitum scholis eloquentiae. Hirta fortasse illa Catonis toga inter omnes iam nota quasi in proverbium abierat.

Hucusque contuli omnia, quae erant idonea ad demonstrandam vel fulciendam eam sententiam, qua contendimus inter auctores, quos identidem respiciebat, Tacitum habuisse etiam Lucanum. Restat, ut in extrema dissertatiunculae parte omnia colligam exempla, quae etiamsi simillima esse videntur, tamen simili dictione vel narratione alterius auctoris collata fiunt dubia vel refutantur, cum aut non diiudicetur, unde verba sumpserit Tacitus, aut appareat eum illos, non Lucanum respicere.

Iam supra (p. 35 sq.) attuli locum, quo in syntaxi quam dicunt verborum Tacitus secutus mihi videtur Lucanum; illi oppono duo, quae etiamsi primo aspectu probabilia esse videntur, mox parum idonea intelleguntur. Nam quod Tacitus dicit Ann. I 22 „ne hostes quidem sepultura invident“, Lucanus VII 798

invidet igne rogi miseris caeloque nocenti
ingerit Emathiam,

conferatur Livius (II 40. 11): „non inviderunt laude sua mulieribus viri Romani". Similia apud Plinium minorem aliosque passim leguntur [1]).

Tum inveni apud Tacitum verbum „erubescere" coniunctum cum infinitivo, Ann. VI 23 „consultusque Caesar an sepeliri sineret, non erubuit permittere ultroque incusare casus, qui reum abstulissent, antequam coram convinceretur", Ann. XIV 43 „an, ut quidam fingere non erubescunt, iniurias suas ultus est interfector, quia de paterna pecunia transegerat aut avitum mancipium detrahebatur?" Sic invenimus apud Lucanum III 112

melius, quod plura iubere
erubuit quam Roma pati.

Sed primus usus est hac constructione Vergilius (Ecl. 6, 1sq.)

prima Syracosio dignata est ludere versu
nostra neque erubuit silvas habitare Thalia.

Quin etiam Tacitum imitari Vergilium inde apparere crediderim, quod uterque sensu negativo dicit „non erubescere aliquid facere"; quod est idem ac „vereri aliquid facere", quod esse exemplar illius verborum constructionis puto. Sed iam ad alios transgredior locos.

Agricolae cap. 35 Agricola imperator milites adlocutus ita instruxit aciem, ut peditum auxilia mediam aciem firmarent, equites cornua: „Legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Romanum sanguinem bellandi", ubi verba „citra Romanum sanguinem" insolita dicendi ratione significant „sine sanguine (ohne Blutvergießen [2])". Luc. VII 96 sqq. describitur pugna inter partes

1) Cf. Quintil. instit. orat. IX 3. 1 „si antiquorum sermonem comparemus, paene iam, quidquid loquimur, figura est, ut hac re invidere, non ut omnes veteres et Cicero praecipue, huic rei".

2) Cf. Ann. III 39 „in quo (proelio) semermi ac palantes trucidati sunt sine nostro sanguine".

Caesaris et Pompei facta. Frustra horum tela cadunt in hostes (208 sqq.)

sic Libycus densis elephans oppressus ab armis
omne repercussum squalenti missile tergo
frangit et haerentis mota cute discutit hastas;
viscera tuta latent penitus, *citraque cruorem*
confixae stant tela ferae.

Quamvis differat ἦθος loci, simili tamen sensu „citra cruorem" nihil aliud significat quam illud „citra sanguinem". Sed confer Livii periochae 126 „*citra ullum sanguinem* bellum confecit", ac iam dices Tacitum uti dictione illa aetate haud inusitata[1]).

Luc. IV 710 sqq. sunt de Curione Corfini in arce capto

sic fatus apertis
instruxit campis acies; quem *blanda* futuris
deceptura malis belli *fortuna* recepit,

haec est fortuna belli, quae primo blandiens rebus hominum tum eos decepit. Cum his Lucani verbis Haskins comparat Taciti Hist. II 12 „*blandiebatur* coeptis *fortuna*", haud scio an recte, quod attinet ad similem locorum colorem. Blanda primum fuit fortuna Othonianorum „possessa per mare et naves maiore Italiae parte penitus usque ad initium maritimarum Alpium", sed spes, quam in his rebus posuerant partes, fefellit eos, cum

1) Cf. Senec. de clem. I 25. 1 „ut iste animus . . . citra sanguinem caedemque satietur". — Ann. II 21 sic narrat Tacitus de pugna Germanici cum Arminio facta: „Iamque sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris: ceterae ad noctem *cruore hostium satiatae sunt*", quod non est referendum ad Luc. V 242

cum paene fideles
per tot bella *manus satiatae sanguine* tandem
destituere ducem.

Nam verba arte alliterationis figura coniuncta saepe occurrunt apud scriptores et poetas Latinos, qui omnes fortasse respexerunt Homericum αἵματος ἆσαι. (Iliad. X 267 = Y 78).

duces rem male gererent. Tamen Senecae loco impedimur, ne credamus exemplar huius loci Tacitei fuisse Lucanum, controversiarum dico II 11 „fragilis et caduca felicitas est, et omnis blandientis fortunae speciosus cum periculo nitor“.

Similiter de proximis, quos afferam, indico locis, quos silentio non praetermittendos esse ideo putavi, quod a commentatoribus sunt allati. Ann. IV 19 invenimus de Silio accusato et maiestatis laesae et de repetundis: „Imminentem damnationem voluntario fine praevertit“, ubi sine dubio recordamur Lucani VIII 29 sqq.:

nisi summa dies cum fine bonorum
adfuit et celeri praevertit tristia leto,
dedecori est fortuna prior.

Sed cum huius loci simillimi inveniantur apud Vergilium, Livium, alios, nihil certi dicere audemus. —

Ann. III 50 orationem habet M. Lepidus pro Clutorio: „Vita Clutorii in integro est, qui neque servatus in periculum rei publicae neque interfectus in exemplum ibit“. Duos ad hanc sententiam confert locos Furneaux: Luc. X 343

in scelus it Pharium Romani poena tyranni
exemplumque perit?

et Sen. epist. 121, 4 „non desistam .... voluptates ituras in dolorem compescere“. Haskins contra ad Lucani l. l. praeter Ovid. Metam. X 492, quem non aptum censeo, confert Senecae controv. X praef. 6 „quae nos, dementissimi homines, tanta vecordia agitat? parum videlicet in poenas notae crudelitatis it“.

Denique Nipperdey ad Ann. XV 71 „Cluvidieno Quieto, Iulio Agrippae, Blitio Catulino, Petronio Prisco, Iulio Altino, velut in agmen et numerum Aegei maris insulae permittuntur“ admonet Lucani II 111

in numerum pars magna perit

et Senecae de clem. I 5. 7 „princeps alios ex civibus suis, quia utiles bonique sunt, libens videat, alios in numerum relinquat". „In numerum" Taciti et Lucani editores explicant „ut (agmen et) numerus efficiatur, ut numerus expleatur". Qui cum sine dubio sit sensus verbi etiam apud Senecam, ne hic quidem facile diiudicatur, utrum secutus sit Tacitus. Neque certi quidquam de proximo loco audeo affirmare. Exitus orationis Ann. II 14 hic est: „Si taedio viarum ac maris finem cupiant, hac acie parari: propiorem iam Albim quam Rhenum neque bellum ultra, modo se, patris patruique vestigia prementem, isdem in terris victorem sisterent". Initium orationis Orelli iudicio simillimum est Horat. Carm. 2, 6. 7

sit modus lasso maris et viarum
militiaeque,

ad ultima contulit idem Vergili Georg. II 488

o qui me gelidis in vallibus Haemi sistat,
Aen. II 620 tutum patrio te limine sistam.

Restat, ut disseramus de verbis „patris patruique vestigia prementem", quod in nostra lingua est „in die Fußstapfen jemandes treten". „Vestigia premere" poetice dicitur pro „incedere" vel „subsistere". Taciti verbis, quibus inest sensus sequendi, consequendi, respondet Luc. II 652

adsequitur generique premit vestigia Caesar,

quod iam vidit Cortius (cf. adnotationem Weberi ad Lucani locum allatam), sed praeterea Sen. epp. 32, 3 „fugientium premere vestigia", ut nihil aliud dicere possimus nisi dictionem quamvis insolentiorem tamen non apud solos Tacitum et Lucanum inveniri. —

Ann. I 70 Vitellius legiones a Germanico acceptas, ne naves nimis onerarentur, itinere terrestri iuxta mare ducit. Mox impulsu aquilonis intumescente Oceano „opplebantur terrae: eadem freto litori campis facies, neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia a profundis". „Brevia", quod hoc loco idem est ac vada, primum occurrit

hoc sensu apud Vergilium, quem confert Furneaux, Aen. I 111 tris Eurus ab alto

in brevia et syrtis urget [1]),

tum Aen. X 288 multi servare recursus

languentis pelagi et brevibus se credere saltu

et imprimis, quod nos attingit, Luc. IX 338

tunc magis impactum brevibus mare terraque saepe
obvia consurgens.

Apud Graecos „brevia“ est „βραχέα“, ut apud Herodotum II 102: θάλασσα οὐκέτι πλωτὴ ὑπὸ βραχέων. Primus e Latinis auctoribus verbum in solutam orationem induxisse videtur Pomponius Mela I 35: „Syrtis sinus est centum fere milia passuum, qua mare accipit patens, trecenta, qua cingit: verum importuosus atque atrox et ob vadorum frequentiam brevia, magisque etiam ob alternos motus pelagi affluentis ac refluentis infestus“. Proximi sunt Taciti loci, unus is, quem attuli, alter Ann. VI 33 „hibernus auster revolvit fluctus pulsoque introrsus freto brevia litorum nudantur“ in fine capitis, denique admisso numero singulari maiore loquendi licentia Ann. XIV 29 „Monam insulam, incolis validam et receptaculum perfugarum, adgredi parat (Paulinus Suetonius) navesque fabricatur plano alveo adversus breve et incertum“. Fortasse ipsum Vergilium secutus est Tacitus, nisi e Melae exemplo volumus cogere verbum iam inde a Vergilio commune fuisse auctorum Latinorum dictioni.

Adverbio „super“ pro „desuper“ utitur Tacitus Ann. VI 35 „iamque et Albani .... ancipitem pugnam hostibus facere, quos super eques et propioribus vulneribus pe-

---

1) Cf. etiam Aen. V 220 sqq.

et primum in scopulo luctantem deserit alto
Sergestum brevibusque vadis ...

Servius adnotat ad Aen. I 111: „in brevia et syrtis: id est in brevia syrtium, quo modo molemque et montes. Brevia autem vadosa dicit“ ... Ad proximum versum idem explicat vada = βραχέα.

dites afflictabant", ut Verg. Aen. V 697 „implentur super puppes (scil. fluctibus)", unde prompsisse verbum videtur Tacitus, non e Lucani VI 291 „super e totis emisit collibus arma" [1]).

His locis, quos iam collegerunt alii, ipsa nonnulla addam exempla, quorum primum est Agr. 28: „Eadem aestate cohors Usiporum per Germanias conscripta et in Britanniam transmissa magnum et memorabile facinus ausa est". Lucanus quidem adhibet eadem adiectiva item arte coniuncta IV 496

nescio, quod nostris magnum et memorabile fatis
exemplum, Fortuna, paras.

Neque tamen primus ea invenit Lucanus neque omnino sunt insolita apud auctores Latinos inde a Terentio, cf. Heaut. II 3. 73:

non fit sine periclo facinus magnum nec memorabile,

quem ad versum confert Bentleius Menandri μέγα καὶ περιβόητον ἔργον (Plokion 403 sq.). Equidem admoneo Thucydidei I 1 ἐλπίσας μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων [2]).

Ann. XV 49 sqq. narrat auctor Pisonis coniurationem, cui intererat cum aliis Scaevinus. „Dissoluta luxu mens et proinde vita somno languida" summo ei erant probrio. Quod audacia quadam videtur esse translatum aut ex Ovid. heroid. X 9 (de Ariadna)

---

1) Utrumque locum ad Taciti sententiam adferunt Furneaux et Orelli.

2) Verba Latina tractat Woelfflin S. A. M. 1881, p. 67 multaque colligit exempla, ut Verg. Aen. IV 94 „magnum et memorabile numen", Liv. 39, 51. 10 „nec magnam nec memorabilem ex inermi proditoque Flamininus victoriam feret", alia, quae docent hanc verborum coniunctionem haud insolitam fuisse linguae Latinae. Similiter coniunguntur eadem allitterationis figura „magnus et mirabilis" et „magnus et admirabilis" (Woelfflin p. 67).

incertum vigilans an somno languida, movi
Thesea prensuras semisupina manus[1]),

aut ex Lucani III 8

inde soporifero cesserunt languida somno
membra ducis,

ubi proprio sensu, nulla imagine admissa, ponuntur verba. Neque omittam Statii locum (Theb. XI 548 sqq.)

quo retrahis, germane, gradus? hoc languida somno,
hoc regnis effeta quies ...,

Si comparamus omnes hos locos, hoc unum possumus coniectare Tacitum dictum poetarum sermoni proprium non solum recepisse, sed etiam mutavisse quodammodo vel transtulisse ad rem insolitam.

Hist. III 34 Tacitus in verbis „(Cremona) bellis externis intacta" fortasse respicit Sallusti „regnum bello intactum" (Hist. IV 69. 15), quem potius exemplar fuisse credam quam Luc. III 427

nam vicina operi belloque intacta priore,
inter nudatos stabat densissima montis (silva)

quod huius Mithridatis epistulae dicta semel atque iterum nobis occurrerunt apud Tacitum. Similiter, maiore tamen audacia fingit Tacitus Ann. III 41 „haud ferme ulla civitas intacta seminibus eius motus fuit".

Ann. XV 42 „squalenti litore" (de regione paludibus Pontinis finitima) non ex Lucano, sed ex recentiorum poetarum usu Tacitus repetisse videtur. Verbum explicat Ruperti ad Silii Ital. I 211: „campis squalentibus: qui nimio solis et cancri ardore exusti sordido colore ac nitore pulverulento obducti, tristes aspectu, inornati, vel inculti et steriles sunt, ut horrens campus Verg. Ge. III 161 et στυφελὴ χθών Apoll. Rhod. II 1007, III 411, quod Schol.

1) Unum exemplum loci Tacitei certe auctore Ovidio compositi affert Furneaux praef. cap. V. p. 74 (Ovid. Trist. II 12 „citraque necem tua constitit ira" = Ann. III 22. 3 „ira Agrippinae citra ultima stetit").

exponit τραχείαν καὶ σκληράν“, tum affert cum alios tum complures Lucani locos [1]). Qua cum explicatione verbi optime consentit Taciti locus. —

Germ. 22 audimus de Germanorum moribus: „Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur“, ubi „extrahere“ adhibetur eodem sensu quo alibi „producere [2]), in partem diei proferre“, ut Ann. IV 73 „pugna in posterum extracta“. Neque possum mihi persuadere Tacitum imitari Lucani (IV 200)

extrahit insomnis bellorum fabula noctes,

quod Haskins sic vertit: „Talk about wars while away the sleepless night“, collato Valer. Flacci I 277/8

Thracius hic noctem dulci testudine vates
extrahit,

ut dicendum fuerit Lucano: „Bellorum fabulis insomnes noctes extrahunt“, id est „agunt“, ut Tac. Ann. III 37: „diem aedificationibus, noctem conviviis trahere“. Cum Lucani contra verbis alios poetarum locos comparo, ut Statii Theb. X 304

traxerat insomnis cithara ludoque suprema
sidera iam nullos visurus Ialmenus ortus,

et eiusdem carminis II 74

insomnem ludo certatim educere noctem,

quem ad versum schol. affert Vergili Aen. IX 166 sq.

noctem custodia ducit
insomnem ludo,

---

1) Cf. imprimis Luc. IX 504 „squalebant pulvere fauces“, qui locus optime illustrat sensum verbi squalendi.

2) „Producere noctem“ invenimus cum haud raro apud alios, tum apud Luc. X 173

longis Caesar producere noctem
inchoat adloquiis,

quem ad locum confert Haskins Mart. II 59, 1

quod nimium gaudes noctem producere vino,
ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes“.

qui versus certe fuit Statii exemplar. Nec non Lucanus similia ante oculos habuisse videtur, cum artificiosius sua verba componeret.. Ad Hist. IV 47 „magna documenta instabilis fortunae summaque et ima miscentis“, quae verba in extremo capite sunt posita, dicit Heraeus: „Wie Velleius II 2 (quippe Tib. Gracchus summa imis miscuit) ist Anklang an Hor. carm. I, 34. 12 „valet ima summis mutare deus“, non recte, ut mihi quidem videtur, cum loci, qui Taciteo multo sunt similiores quam Horati versus, inde a Cicerone exstent idque apud eos auctores, quos sequi constat Tacitum. Dicitur quidem apud Ciceronem de legg. III 19 de tribunorum plebis potestate: „Qui (praecedit tribunorum potestatis comparatio cum puero „insigni ad deformitatem“ facta) primum, ut impio dignum fuit, patribus omnem honorem eripuit, omnia infima summis paria fecit, turbavit, miscuit“. Accedit Curtius Rufus, qui inducit Alexandrum Magnum haec verba facientem (VIII 26. 8): „Ubi vero reverentia excessit animis, et summa imis confundimus, vi opus est, ut vim repellamus“. Denique refero ipsius Lucani versum ex oratione Caesaris Metello respondentis prolatum (III 138):

non usque adeo permiscuit imis
longus summa dies, ut non, si voce Metelli
serventur leges, malint a Caesare tolli [1]).

Verba Taciti non modo Ciceronis, sed etiam Lucani esse simillima nemo non videt: illum respicere hunc ipsum ne ego quidem affirmaverim [2]). —

---

1) Similiter dicit Sall. Jug. 5 „quae contentio divina et humana cuncta permiscuit“.

2) Aliter sensit de hoc loco E. Klebs, Entlehnungen aus Velleius, Philol. 49 (1890) p. 303. Allatis ad Taciti locum Vellei verbis supra commemoratis utrumque referendum esse ad locum Sallustianum hodie amissum contendit, cum Aurelius Victor, Ammianus, Hegesippus, quos secutos esse auctores Sallustium inter omnes constet, similia prae-

Quod dicit Tacitus Hist. II 56 „in omne fas nefasque avidi“ Meiser confirmavit insolitum dictionis exemplo e Lucano prompto (V 312).

ipse per omne
fasque nefasque rues?

Ut primum dicam pauca de verbis „fasque nefasque“, figuram dicendi, quam peculiari libello illustravit E. Kemmer[1]), facile agnoscis: duae contrariae ac diversae voces componuntur, quarum interdum satis fuit alteram ponere, altera tamen ad augendam vim verborum additur. Velut in sententiis a Tacito et Lucano compositis sententiae summa eo continetur, quod in nefas avidi sunt, in nefas ruunt homines[2]). Apud Kemmerum simile inveni exemplum e Catullo assumptum: (64, 405 sq.)

omnia fanda nefanda malo permixta furore
iustificam nobis mentem avertere deorum.

Neque tamen crediderim Lucani vestigia sequi Tacitum, sed communem adhibere dicendi figuram, quam alii quoque usurpare consueverunt auctores, ut Liv. VI 14. 10 „id vero ita accendit animos, ut per omne fas ac nefas secuturi vindicem libertatis viderentur“, ubi illud „fas ac nefas“ non tam complecti omnes res quam exprimere maxime nefarias optime colligitur e sententiarum contextu. Similiter invenimus Panegyr.[3]) 21. 1 „nihil necesse est

---

beant dicta. Sed neglexit Klebs Lucani locum. Mihi quidem constat Tacitum usum esse formula rhetoribus usitata.

1) Ernst Kemmer, Die polare Ausdrucksweise in der griechischen Literatur. Würzburg 1903.

2) Cf. Imm. Bekker ad Taciti l. l.: „in quodnam fas avidi aut quod genus dicendi in fas avidi? debebat esse „in omne nefas avidi“. Et omnia, quae sequuntur, sunt nefaria. Sed videtur fas nefasque velut e formula dictum esse in tali sententia, nec verbum fas ad vivum resecandum“.

3) Duodecim Panegyrici Latini. post Aemilium Baehrensium iterum recensuit Guilielmus Baehrens Lips. 1911.

pecuniam per fas et nefas quaerat", et apud ipsum Tacitum (Hist. III 51) „tantam victoribus adversus fas nefasque inreverentiam fuisse", quae maiore iam audentia coniunguntur verba, cum sic interpretanda esse videatur sententia: tanta fuit inreverentia victoribus, ut fas non facerent, committerent nefas [1]). Denique duos afferam annalium locos, XV 37 „ipse per licita atque inlicita foedatus nihil flagitii reliquerat", ubi contra nonnullorum editorum opinionem „licita", si rem ipsam spectas, esse supervacaneum contendo, et II 38 „quibus omnia principum, honesta atque inhonesta, laudare mos est", ubi explicatur illud „omnia" verbis „honesta atque inhonesta", sed ita, ut plus gravitatis insit verbo „inhonesta". Ceterum haec e Sallustio imitando effícta esse videntur, cf. Cat. 30, 4 „hi utrique (A. Marcius Rex et Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca missi) ad urbem imperatores erant, impediti ne triumpharent calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat", Jug. 31 „quis fides decus pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quaestui sunt", denique Jug. 80, 5 „caeci avaritia, quis omnia, honesta atque inhonesta, vendere mos erat" [2]).

Hist. III 79 „Antonius per Flaminiam ad Saxa rubra multo iam noctis serum auxilium venit" insolite dictum pro „sero auxilio venit", respicit fortasse Livi III 5. 15 „Antiates mille milites, quia serum auxilium post proelium venerant, prope cum ignominia dimissi" (cf. X 5. 8; XXVII 20. 3 etc.). Commemoro tamen etiam Lucanum (IX 890)

1) Cf. Hor. Ep. 5, 87 venena maga non fas nefasque, non valent convertere humanam vicem (Meiser.),
fortasse etiam Pindari Ol. II 30 τῶν δὲ πεπραγμένων ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν οὐδ' ἂν χρόνος ὁ πάντων πατὴρ δύναιτο θέμεν.

2) Cf. Furneaux et Wölflin Phil. 26, p. 124.

vix miseris serum tanto lassata periclo
auxilium fortuna dedit.

Quo loco luculentissime apparere mihi videtur, utrum auctorum secutus sit Tacitus. Nam et Taciti et Livi verba inserta sunt proeliorum descriptionibus, cui accedit argumento, quod complura eodem capite continentur dicta Liviana.

Similiter res cum proximo se habet loco. Hist. II 34 de Vitellianis narratur: „Quieti intentique Caecina ac Valens, quando hostis imprudentia rueret, quod loco sapientiae est, alienam stultitiam opperiebantur, inchoato ponte transitum Padi simulantes adversus oppositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum miles segne otium tereret"[1]). Quantum video, hoc primum occurrit apud Sallustium Cat. 4: „Non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere", tum apud Vergilium Aen. IV 271

qua spe Libycis teris otia ripis,

unde sumpsisse videtur Livius I 57. 5 „regii quidem iuvenes interdum otium conviviis comissationibusque inter se terebant", (cf. 57, 9 quas [regias nurus] in convivio luxuque cum aequalibus viderant tempus terentes"). Huc accedit Lucani II 488

hoc limite bellum
haereat, hac hostis lentus terat otia ripa.

Ad Ann. XVI 31 „post altaria et aram complexa" confert Nipperdey Luc. III 404

structae diris altaribus arae.

Sed verba saepius occurrunt sic coniuncta: cf. Verg. Ecl. V 65

sis bonus o felixque tuis! en quattuor aras:
ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.

---

1) „Tempus terere" vel similia haud raro inveniuntur, cuius rei exempla afferre omitto.

Plin. Pan. 1 „electus quippe inter aras et altaria“, Lucr. IV 1236/7 multo sanguine maesti
cospergunt aras adolentque altaria donis [1]). — Tac. Hist. IV 12 „pars Chattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicae orae vacua cultoribus .... occupavere“ similiter est dictum ac Ovid. met. VII 653

vota Iovi solvo populisque recentibus urbem
partior et vacuos priscis cultoribus agros,

et Luc. IX 162

linquam vacuos cultoribus agros;

cf. etiam Sall. Hist. I 14: „apertae portae, repleta arva cultoribus“. —

Ad Sallustium, non ad Lucanum referam Hist. IV 66 „seu me militem seu ducem mavultis“, ad Sallusti dico Cat. 20 „vel imperatore vel milite me utemini“. Dissentit enim aliquantulum sententia Lucani VII 87

„si placet hoc“, inquit, „cunctis, si milite Magno,
non duce tempus eget“. —

Hist. III 34 „ubere agri“ sine dubio sumptum est e Vergili Aen. VII 262

non vobis rege Latino
divitis uber agri Troiaeve opulentia deerit,

cum Luc. III 68

ubere vix glaebae superat

fontem habeat, ut videtur, in Aen. I 531 (cf. III 163)

est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt,
terra antiqua, potens armis atque ubere glaebae [2]).

Tac. Hist. III 56 „contionanti (Vitellio) ... tantum foedarum volucrum supervolitavit, ut nube atra diem

---

1) Cf. praeterea Woelfflin, Münch. Sitz.-Ber. 1881 p. 47.

2) Cf. Schmaus p. 54: „uber wird zuerst von Vergil in der übertragenen Bedeutung „Fruchtbarkeit“ gebraucht. Vgl. das homerische οὖθαρ ἀρούρης“.

obtenderent", in numero solitorum est habendum prodigiorum neque dependet, ut, qui leviter attingit locum, potest credere, de Luc. I 558

dirasque diem foedasse volucres,

inter alia prodigia narrato. Neque diiudicari potest quidquam, si pugnae descriptiones sunt similes. Velut Oudendorf ad Luc. III 485 contulit Tac. Hist III 27. Sine dubio similes sunt narrationes, verba ipsa „densa testudine" apud utrumque significant testudinem scutis super capita elatis factam (Liv. 44, 9), alia etiam congruunt fere verba: contra haec primum est dicendum „densam testudinem" inveniri etiam Verg. Aen. IX 514, quo loco alia quoque verba consentiunt cum Tacito, tum omnino valde cavendum esse in huiusmodi narrationibus puto, ne longius progressi communibus utamur argumentis ad eruendum scriptoris fontem.

Iam quoniam omnes, quos quidem invenerim, locos percensui, restat ut paucis verbis colligam, quid hoc opusculo profecisse mihi videar. Sane haud ita multi erant loci Lucani, quos a Tacito respectos esse certis argumentis demonstrari potest, sed illud quod in Dialogo de Lucano tulit iudicium (cf. supra p. 2) satis confirmant. Nam si recte de ea quae inter utrumque intercedit ratione iudicare voles, non hi tantum loci respiciendi sunt, sed eorum etiam exemplorum numerus, quae inter probabilia rettulimus vel inter incerta. Quam pauca verba ita ex Vergilio recepit Tacitus, ut vel a nobis fons facile agnoscatur; saepe incerti haeremus, tamen Vergilii artem ac sermonem dispicere ac penitus cognoscere debet, qui Taciteum dicendi genus recte intellegere vult. Singulis de locis haud facile iudicamus, quoniam et multi recentiorum scriptorum illis locis usi sunt et ipse Tacitus id semper egit, ut quae apud alios bene dicta admiraretur,

quasi propria nota signata referret: de universa re non possumus dubitare. Si quaeres de singulis Lucani locis, haud inutile erit animadvertere, quas imprimis carminis partes admiratus maxime animo complectus sit Tacitus. In retractanda tota quaestione id semper respicias, quomodo ille et veterum probatorumque scriptorum exempla sequi et suo, ut ita dicam, ore loqui voluerit. Me quidem id maxime spectasse profiteor, ut etiam hoc opusculo eximia illa ac perfecta imitationis ars in Tacito melius agnosceretur, cuius ingenium eo magis admiramur, quo altius in sacrarium eius penetramus.

Index locorum.

Vita.

Nata sum Luise Robbert Bremensis, confessionis evangelicae, nonis Decembribus anno MDCCCXCI Lehae in oppidulo ad Visurgim flumen sito patre Georgio matre Carolina e gente Koester, qui adhuc superstites habitant Bremaeportu in oppido Bremae liberae civitatis. Per annos sex scholam puellarum privatis opibus Bremaeportu sustentatam, tum quattuor annos scholam publicam Geestemundae frequentavi. Inde a vere anni MCMIX adii gymnasium Bremaeportense, ubi imprimis Paulus Mohr, magister benignissimus atque humanissimus, studio atque amore antiquitatis me imbuit; cui una cum ceteris magistris summas hic ago gratias. Vere anni MCMXII testimonium maturitatis adepta studio philologiae classicae germanicaeque nec non archaeologiae me dedi Gottingae, ubi adhuc sum versata.

Docuerunt me viri doctissimi Brandi Busolt Husserl Koerte Leo † H. Maier K. Müller Pasquali Pohlenz Ranke Reitzenstein Schmid Schroeder Schultz † Wackernagel Weißenfels Wendland †.

Sodalis fui proseminarii et seminarii philologici Gottingensis, sodalis quoque seminarii archaeologici moderante Gustavo Koerte et Curtio Mueller, sodalis denique proseminarii et seminarii germanici moderante Riccardo Weißenfels. Ad exercitationes philologicas Pasquali, ad grammaticas Wackernagel benigne me admiserunt.

Omnibus, qui me docuerunt, summas ago gratias, imprimis Riccardo Reitzenstein, qui non modo auctor

dissertationis conficiendae mihi exstitit, sed etiam consilio me adiuvit, tum Jacobo Wackernagel et Maximiliano Pohlenz, quibus viris non minus grato animo attribuo, si quid in grammatica et philologia profeci, denique Gustavo Koerte et Curtio Mueller, qui non modo ad studium archaeologiae me excitaverunt, sed studiis meis benignissime semper adfuerunt. Ei, qui mira benignitate rudi olim animo viam demonstravit ad philologiam, Friderico Leo, quamvis cupiam iam nequeo gratias agere ipsi.
